
6
14

COSMÆ

MAGALIANI

BRACARENSIS,

E' SOCIETATE IESV,
sacrarum literarum Professoris,

COMMENTARII IN

CANTICVM PRIMVM MOSIS:

Quo Israëlitæ, demersis Ægyptiorum copiis, Dei laudes decantarunt.

Adiecti sunt tres Indices: Vnus, locorum sacræ Scripturæ: Alter, eorum quæ pertinent ad doctrinam moralem, & vsum concionantium: Tertius, rerum & sententiarum memorabilium.

OMNIA NVNC PRIMVM IN LVCEM DATA.



Ex legato  Ill.mi Coccini



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IVDICIVM CENSORIS SVPER *Commentarios in primum Mosis Canticum.*

PErlegi, eo quo potui studio, hunc, in Mosis Canticum, commentarium; qui nihil continet sanctis Patribus, sacrorúmque conciliorum definitionibus, & orthodoxæ fidei contradicens; imò concionatoribus, & sacræ paginæ studiosis mirificos sensus præbet: quare dignum iudico quòd typis mandetur. Datum in cœnobio sancti Francisci de Enxobregas 14. Kalendas Augusti, Anno Domini 1607.

FR. LVDOVICVS AB ANGELIS.

Facultas supremi sanctæ inquisitionis senatus Lusitaniæ.

POssunt excudi hi Commentarij super primum Mosis Canticum, & postquam excusi fuerint, huc adducantur, vt cum autographo collati, passim legi possint. Olyssipone 7. Augusti 1607.

MARCOS TEIXCIRA.

BERTOLAMEV DAFONSECA.

Facultas Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Alphonsi de Castelbranco, Episcopi Conimbricensis, ac Comitis Arganilij.

POssunt imprimi hi Commentarij in Canticum Mosis, editi 25. Septembris 1607.

EPISC. CONDE.

Facultas Prouincialis.

EGo Antonius Maſcarenhas, Societatis IESV in Prouincia Luſitaniæ Prouincialis, facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodũ Patre, noſtro Generali, Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt Commentarij in primum Moſis Canticum, à Patre Coſma Magaliano, Societatis noſtræ Theologo, & regij artium Collegij, in Conimbricenſi Academia, præfecto, compoſiti: atque grauium doctorúmque virorum eiuſdem Societatis, iudicio approbati, typis mandentur. In cuius rei fidem, hoc teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & munitum ſigillo noſtro, dedimus. Olyſſipone 11. die Maij, anno Domini 1607.

ANTONIVS MASCARENHAS.

ADMO



ADMODVM R. P.
NOSTRO ÇLAVDIO AQVAVIVÆ, PRÆPOSITO
Generali Societatis IESV,

COSMAS MAGALIANVS,
eiusdem Societatis Theologus, S. D.

I. NON *mihi opus fuit, multùm diúque cogitare, cuinam patrono dicare debuissem primos ingenij mei fœtus. Vbi primùm nánque moliri editionem hanc occœpi, statim mei, & totius Societatis nostræ, parentis, dulce occurrit nomen; quo & amorem tenero fœtui pollicebar, & præsidium. Nec me fallet opinio. Quamuis enim te alloquendi opportunitas nunquam mihi fuerit oblata; quippe qui à Lusitaniæ finibus vix pedem extulerim; perspexi tamen, cùm in literis, tum in iussis, & interdictis tuis, expressam eximiæ charitatis & prudentiæ imaginem; qua te parentem valde solicitum de filiorum etiam absentium salute & commodis, quotidie ostendis. Hinc spes animum incessit, fore, vt si ignauo rumorum metu, qui librum aliquem euulgare molienti, veluti glacies, teneræ plantulæ obijci solet, mens concidat; aspersione aquæ viuæ, quæ tibi, vt nomen indicat, è cœlo præstò semper est, statim excitetur.*

II. *Fuit olim tempus, (quod optandum nunc esset) sed fuit; quo libri omnes in publicam vtilitatem conscripti, plausibiliter excipiebantur. Nunc secùs accidit. Vix rumor aliquis de libri cuiuscunque fœtura ad aures peruenit, O inuidiam! Iam ordo, iam stylus, iam autor displicet. Istuc profectò est, nascentes fœtus, antequam lucem aspiciant, velle in ipso ortu strangulare. Linum fumigans extinguere, multi nituntur; flatu benigno accendere, paucorum est. Quare, non nisi post deuictam editione aliqua, sub insigni patrono, inuidiam, elucere solent, & conspicui esse, literatorum labores.*

III. *Ego quidem, hæc animo versans, blattis & tineæ vorandos dare commentarios meos decreueram. Et verò, nisi vir quidam religione & autoritate clarus, valde necessariam esse, cùm omnibus, tum librorum compositori, patientiam, opportunè admonuisset (hæc enim, vt D. Iacobus ait, opus perfectum habet) iacerem vtique (quod in votis erat) & vitam silentio transigerem. Fuit hæc admonitio, veluti flatus quidam salutaris, à cœlesti Zephyro immissus, quo animus, qui conciderat, & penè ad studia, in quibus à puero incubui, emortuus erat, sibi restitutus est. Mentem præterea subijt, quæ mihi frequens est, tui, Pater colendissime, ingenij omnibus notissimi recordatio. Est enim tibi cùm ad virtutis studia modis omnibus promouenda, insita propensio: tum erga bonas literas, quibus virtus efflorescit, penè innatus ardor.*

IV. *Hæc recordatio ita me affecit vt, licèt pro mortuo fœtum hunc meum exponerem; sperarem tamen adhuc fore vt tu, qua es benignitate, cùm in cæteras nostri ordinis tibi subditas prouincias, tum in hanc Lusitanam, quam multis nominibus tuam, nostrum erga te obsequium & amor facit; mortuo, & exposito, vitam dares: ac, veluti alter Elisæus, qui puero vita functo incumbens, flatu tactúque effecit vt oculos aperiens, auram reciperet vitalem, desideratam impertires lucem. Quid ni? Multa sunt, eáque præclara primorum patrum nostræ Societatis virtutum exempla: multa præterea, & valde, à bonis & incorruptis rerum æstimatoribus laudata eorundem, & commendata posteritati monimenta, quæ, non nisi tuis felicissimis auspicijs, à tenebris, in quibus diu delituerant, in lucem publicam feliciter sunt vindicata.*

4. Reg. 4.

V. *Hoc verò quale quale est nostri laboris monumentum, cur, te viuente & spirante, lucem formidabit? An quia exiguum? Inest in rebus paruis sua venustas, suus lepor. Num argumento displicebit? Id profectò pulcherrimum est, & effectorum diuinæ potentiæ multitudine planè mirabile. Canunt Israelitæ in optato littore considentes, demerso in mari rubro Pharaone, & Aegyptiorum exercitu, niceteria Deo; quem in ea traiectione, viderant, ad preces Mosis, instar bellatoris, pro populo suo præliantem.* Dominus, *inquiunt*, quasi vir pugnator; Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis, & exercitum eius, proiecit in mare. *Quid in hoc argumento lectori esse potest non gratum?*

Exod. 15.

VI. *Certè quid mihi acciderit, dicam. Quoties animum ad scriptionem hanc appuli, toties Societatis nostræ initia, & progressus, non sine voluptate, consideraui. Multi, & graues, rerum aduersarum fluctus, cymbam hanc,* IESV *nomine insignitam, olim iactarunt. Imperauit tunc Dominus ventis, & mari, sicq; sedata tempestate, tenuit illa tantisper cursum suum, donec te ad clauum sedente, & sociorum illustri numero circunsepto, non semel, aut*

bis,

bis, sed sæpius, inuidente Satana, tantæ felicitati grauior incubuit procella. At quomodo sedata? Nunquid mercibus, aut clasiariys in mare eiectis? Minimè. Prudentia tua, precibus, atque constantia. Prudentiæ fuit, præuidere malorum nimbos, illisque antequam nocerent, occurrisse. Precibus ad Deum profusis, quid non es assecutus? Tota interdum, tuo iussu, supplex Societas, quid beneficij non impetrauit?

VII. *Iam integritas nostri instituti, qua constantia, quoties oppugnari cœpta est, te propugnante, sarta & tecta permansit? Tibi in rebus implicatissimis, diuinam opem poscenti, respondisse id ipsum arbitror cœleste numen, quod olim Mosi, mari & hostibus intercluso, responsum fuit.* Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël, vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam. *Virga Mosis eleuata, mare Israëlitis, ne ab Aegyptijs occiderentur, aperuit. Quid tu? Virga virtutis & sapientiæ immota, clauóque nunquam laxato, viam in cœlum tuis constanter aperuisti.* Exod. 14.

VIII. *Cecinit ille populus, ne diuino beneficio ingratus videretur, duce Mose à periculis liberatus, Deo epinicion. Cantemus & nos Domino hymnum: Gloriosè nánque, te, filios tuos, in negotijs difficillimis præeunte, magnificatus est. Sed finem facio, à tuis inuitus abstinens laudibus; quippe qui sciam tuæ modestiæ esse vt nihil laudis humanæ admittere velis. Duntaxat has tenues laborum meorum primitias tuo iterum commendo patrocinio: vt, quemadmodum olim Iacobus, matris Rebeccæ industria elaboratum munusculum patri offerens, primam benedictionem obtinuit: sic ego, si non primam, aliquam saltem, à te parente optimo, ex hoc munusculo, à finibus extremæ Hesperiæ misso, promerear benedictionem.* Gen 27.

ANTO

ANTONIVS LAVBEGEOIS, Societatis IESV, Hebraicæ & Græcæ linguæ in regio Academiæ Conimbricensis Collegio professor, ad Autorem.

Πρωτόπλοον ἀτράπαν δυσπέμφελα λαίτματα πορθμοῦ,
    Κεῖνο Μαγελλάνε ὀψιγόνοισι κλέος·
Αὐτὰρ, ὅταν Μωσῆ ἀλλ' ἀοίδιμον ἄστι χαράσσῃς
    Σοῖσιν ἐρετμοῖσιν, μὴδ' ἔτι καινοτομεῖς;
Εἴτις ἀριπρεπέος, πορθμῶν ἄπο, ἔμμορε τιμῆς,
    Καὶ δυτικῆς κ' ἐρυθρᾶς σφῶ λελάχεθον ἁλός.
Ἐμφύλῳ ποτὶ ἰσοπαλεῖ ὑπερέξοχον ὄλβῳ,
    Νημερτὴς Κοσμᾶν ἔσθ' ὅτι φῆμις ἐρεῖ.
Νηὶ πολυπλάγκτῳ, πελάγει χθόνα κεῖνος ἔτετμε.
    Μέσσῳ αὐτὰρ πορθμοῦ γῆν ἀνέῳξε Θεός.
Καὶ μάλ', ἐναρμόνιον Μωσεὺς ὃν χρησμὸν ὑφαίνει,
    Σῇ πολυϊδρείῃ ἐξετίναξε κνέφας.
Ἔνθεν Ἀναγνωστής, πολὺ ἀσφαλέεσσιν ἀταρποῖς,
    Θέσσεις ὅπῃ ῥάβδος σε προθέῃ, ἕψεται.

IDEM EIVSDEM.

IGnotum tentâsse fretum, mirantibus vndis,
    Vna Magalani est posthuma fama ducis.
At tua, dum Mosi cantata per æquora, penna
    Remigat, insolitum quid nisi tentat opus?
Laurea si qua fretis quæratur, vtrique parata est;
    Occidua hunc celebrant, téque Erythræa canent.
Gentili certâsse suo, melioribus olim
    Auspicijs, Cosmam fama loquetur anus.
Ille freto terras retegit; diuinius ipso
    Hospita terra freto, Mose iubente, patet.
Quin mage, quæ cecinit Moses oracula, scriptis
    Illustrata tuis iam, Magalane, patent.
Certus inoffenso Lector vestigia calle,
    Quà tua cunque præit virgula diua, leget.

COSMÆ



COSMÆ MAGALIANI, SOCIETATIS IESV, COMMENTARII IN CANTICVM PRIMVM MOSIS.

De vtilitate, metro, & scopo, qui in omnibus canticis Christus est:

PRÆFATIO AD LECTOREM.

I. MORIS esse nostræ Societatis, vt alternis annis, nunc vetus nunc nouum explicet Testamẽtum, sacræ paginæ professor, ídque non ex domestico solùm præscripto, sed ex veteri etiam illustrium Academiarum instituto, vix est qui nesciat. Eapropter Conimbricæ, quæ bonarum artium altrix est in Lusitania, cùm huic professioni addictus, in duas D. Pauli ad Timotheum epistolas, quas biennio ferè elaborauéram, annotationes, quàm potuí accuratè, absoluissem: mense sesquialtero, quo annus scholasticus adhuc explendus erat, carmen à filiis Israël post Ægyptiacam captiuitatem, in vlteriori maris rubri littore decantatum: dum de Iosue anno insequenti explicando cogito, suscepi enarrandum. Eicèt autem in hac enarratione breuitatem mihi, & perspicuitatem, vt temporis ratio postulabat, proposuerim sectandam; studium tamen, & commentandi alacritatem, quæ nulla initio erat, mihi au- *Academiarum vetus consuetudo.*

 ditorum

ditorum excitauit ardor, quo quicquid inter legendum promebam, aut meditabar, auidissimè arripiebant. Hinc ad externos fama: hinc transcribendi studium. Optabant plerique omnes, vt lucem haberent publicam hi mentis nostræ fœtus. Quid ego ad hæc? Differre statui hoc consilij, vsque dum duo alia Mosis poëmata, prout destinaueram, enarrarem, vt tanti viri tria cantica (in canticis enim numerari possunt verba, quibus benedixit filiis Israël) luculenter elucubrata, integrum & iustum redderent volumen. Cæterùm, *vitæ summa breuis* (vt Lyricus cecinit) *spes nos vetat inchoare longas.* Quæ absoluta sunt, & ante oculos posita, ea amici postulant; quæ nondum perfecta sunt, nisi humani aliquid prius accidat, suam habebunt maturitatem, suam lucem. Num quia commentarij in primum Mosis canticum cęterorũ fœturam antecesserunt, instar erũt abortiuæ prolis? Inest eis sua Lucina; sua germanitas: Nõ possunt malè nati fœtus & expositi reputari, qui suam referent, ipso stylo & scribendi methodo, ad præcedentes agnationem.

Vitæ breuitas. Horatius.

II. Animum ergo nihilo magis in alterutram partem propendentem, ratio vt amicis darem quod poscebant, subijt, impulit, suasit: Erit, vt spero, hic liber, non amicis solùm gratus, sed vniuersè omnibus, iisque præsertim qui cultioris literaturæ amantes sunt. Illum, quia non perindę in magnitudinem excreuit, vt alij, nemo nisi cui palatum plus sapiat quàm cerebrum, contemnet. An, soli gigantes in hominum genere, & elephantes in belluis laudantur? Præstat gemma tantilla, grandi saxo, & phiala aurea, aheneo lebeti. Sanè, aliqui libri ob magnitudinem, cùm aliquò proficisceris, domi manent: hunc, si libuerit, vel in longissimo itinere, in sinu, in manica, vbi non? comitem habebis. Præstò tibi erit, si cæli amor pectus pulsauerit ad diuina beneficia recolenda: si concionibus sacris operam dederis, plurima suggeret, quæ & tibi concilient beneuolentiam, & auditoribus afferant vtilitatem. Si Musica delectaris, aures simul & animum mulcente, sanctissimum tibi virum Mosem, Israëlitici populi ducem, & prophetissam Mariam, illius sororem, celebre inprimis carmen, & quod diuina recolat beneficia, modulantes dabit, & est, qui libros magnitudine voluminis & foliorum æstimet numero, non verò, rerum quas continet, pretio & vtilitate? Rectè Lucretius, prisco quidem, vt solet, sed erudito tamẽ, loquendi more vsus, ait:

Virtute non magnitudine æstimãtur res. Vtilitates, quæ ex lectione huius libri percipi possint.

Lucretius.

—magnarum parua potest res
Exemplare dare, & vestigia notitiai,

III. Por

III. Porrò, quia in cantici Mosis, hoc est, pulcherrimi & antiquissimi poëmatis, explicatione, nostra nunc desudat industria, & ad Hebræorum, laudandi Deum, aut gratias astrictis metro periodis, agendi, consuetudinem veniendum est; operæ pretium erit, lectorem hîc admonere, in numerato illis esse, quicquid hymnorum, aut metri in libris, qui apud eos reputantur canonici, inuenitur. Et verò Mechilta, hoc est, vetus commentarius qui in Exodum scriptus est, in explicatione capitis 15. hymnos siue cantiones ex sacra historia decem enumerat, & inter eas, secundo loco hoc Mosis carmen. quod tamen primum esse literis commendatum, non inficiatur. Adscribam ipsa ferè verba, prout à Masio in caput 10. Iosue recitantur: *Primùm* (inquit Mechilta) *canebant Israëlitæ in Ægypto cantilenam; quod Isaias abscondite significauit, cùm diceret: Et canticum erit vobis, sicut in nocte qua consecratur festũ, & gaudium animi, &c. Secundam canebant ijdem, transmisso mari rubro. Tertiam, ad puteum, cuius est in Numeris mẽtio. Quartam condidit Moses paulò ante suum excessum. Quintam cecinit Iosue, quando stare fecit solem. Sextam cantabant Debora & Barac. Septimam, Dauid, cùm eum ab omnibus hostibus, atque etiam à Saule, liberasset Dominus. Octauam, Salomon, dedicata æde sacra. Nonam, vniuersus cantorum ordo, cùm eum Iosaphat recens instituisset. Decimam cantabunt Beati; eritque ea, qualis illa Isaiæ, Cantate Domino canticũ nouum, laus ipsius inde ab vltimis finib. terræ: vel illa altera, Dicite, redemit Dominus seruum suum Iacob, &c.*

Consuetudo Hebræorum agendi gratias carmine. — *Mechilta quid sit.* — *Decem apud Hebræos cantiones.* — *And. Masius.* — *Iosue.10.* — *Isaia.30.* — *Exod.15.* — *Num.21.* — *Deut.31.* — *Iosue.10.* — *Iudic.5.* — *2.Reg.22.* — *3.Reg.8.* — *2.Par.20.* — *Isaia 42. & 48.*

IIII. *Et superiores quidem omnes illas, nouæ, eæq́; grauissimæ, insecutæ sunt calamitates: at postrema ista, nullo per omnem æternitatem malo interpellabitur.* Hactenus Mechilta. Sunt in sacris libris (qui, præter eos quos Synagoga numero literarum Hebræi alphabeti alligauit, Catholicæ Ecclesiæ approbatione, canonicam habent autoritatem) hymni alij, & cantica, nõ solùm in veteri Testamento, vt canticum trium puerorum, apud Danielem; sed etiam in nouo, vt canticum Simeonis, & B. Virginis: quæ quoties à nobis recitantur, toties animus ad pietatem mirum in modum inflammatur. Vt interim sileã, piis hominibus, qui in rebus afflictis, & omni humana ope destitutis, huiusmodi hymnis vsi sunt, diuinam affulsisse misericordiam, & miraculis interdum coruscasse: inest in his diuinæ gloriæ magnifica prædicatio: preces sonant: gratiarum crebræ audiuntur actiones: cæteræ res creatæ, eo quo possunt modo, Deum perpetuò laudant: nec nisi inuitæ, ab eo laudum diuinarum perenni cursu se patiuntur retardari: nisi fortè laudandi vices, Deo id ratum habente,

Præter hymnos numeratos ab Hebræis sũt adhuc alij in vtroque Testamento. — *Luc.2.* — *Luc.2.* — *Res omnes suis motibus & actibus Deum laudant.*

bente, aliter substituantur. .

Iosue 10. V. Quod planè ostenditur ex Iosue historia cap. 10. Nec enim Sol aut Luna motum suum, quo Deum laudant, antè infrenarunt, *Chal. Paraph.* quàm Iosue, hymno Deum laudantem, audierũt. Vnde Chaldæus, vbi nostra Latina editio habet: *Tunc loquutus est Iosue Domino*, vertit: *Laudabat Iosue Dominum.* Id quod etiam veteres Hebræi in cõmen- *Tanhuma.* tario (Tanhuma vocant) annotarunt. Sententiam tantùm, verbis *Sol suo cursu Deum laudat.* prætermissis, adscribam. *Sol*, inquiunt, *tantisper dum cæli orbem percurrit, Deum perpetuo laudat tenore.* Id enim facet vates sentit, dicens: *Psalm. 49.* *Ab ortu solis vsque ad occasum laudabile:* vel (vt alij legunt) *laudatur nomen Domini.* Atque adeò Iosue, dum illum tacere iubet, simul cogit insistere. Neque enim tacere Dei laudes potest, dum mouetur. Quare ille interea, pro sole, Dei laudes decantabat. Hæc illi pluribus in libro indicato persequuntur, atque in ea sunt opinione quæ verissima est, non solem dumtaxat Iosue, aut ignem Heliæ, aut mare Mosi obtemperasse, sed vniuersam mundi machinam hominum seruire vtilitatibus, si ij laudibus, quibus creaturæ omnes noctes atque dies diuinis obsequentes iussis, communem efferunt conditorem, hymnos, & benefico numini debitas associent gratiarum actiones.

Iosue 10. VI. Erat, quo tempore Iosue, conuerso in cælum vultu, astris à motu quo Deum perpetuo laudãt, cessationem imperauit (quod *Aspectus lunæ ad solem qualis tempore Iosue.* in commentariis super Iosue fusiùs explicauimus) lunæ ad solem tendens ad plenilunium, aspectus ferè quartus; ita, vt luna occidentalior sole esset, atque ad cancrum ab æquatore deflecteret: ex quo accidit vt à terra aspicientibus, super Aialon, quæ vallis est frugifera, esse videretur: sol verò Gabaoni imminere: medius inter vtrumque planetam Israeliticus erat exercitus. Res mira: iussu Iosue, sol & luna, in eisdem in quibus erant locis, donec Israëlitæ victoria potirentur, motu infrenato, consistunt. Tãta vis est, vel vnius *Carminis vnius vis ad sistendum solem.* carminis ad Dei gloriam opportuno tempore decantati, tam insignis efficacitas.

R. Chimhi. VII. Quod autem R. Chimhi dubitat, an carmen editum sit à Iosue, soli moram imperante: id argumento est, vt præclarè Ma- *Andr. Masius.* sius annotauit, in quanta versentur suæ linguæ ignoratione, nostri seculi Iudæi: & quàm peregrini sint, ac pene hospites, in ferendo de *Ignoratio suæ linguæ inter Iudæos nostri seculi.* metricis numeris iudicio; quibus passim hymni & alia carmina astringuntur: siquidem nulla dubitatio esse potest, iis, qui poëtica eruditione imbuti sunt, si verba Hebræa expendant in oratione

Iosue,

Ioſue, numeros illis ſimiles contineri, quibus ligati ſunt Iambici, tetrametri, acatalectici. Quod Maſius apertè confirmat, Hebræa verba ad metricam Latinorum amuſſim adaptans. Illud non prætermittam, à pleriſque viris doctis, qui diligenter hac noſtra ætate in ſtudium Hebraicarum rerum incubuêre, ſcitè animaduerſum eſſe, carmina & hymnos pulcherrimos, atque eleganter compoſitos, in ſacris literis conſeruari: nihilominus, quod ad ſingularum ſyllabarum numeros, menſuras, atque tempora attinet, vix hodie vſquam eſſe aliquem, qui iſta in eo idiomate habeat ſatis cognita. D. Hieronymi ſeculo, Hebrææ poëſis ſcientia, vt conſtat, non ſolùm ex huius viri ſanctiſſimi & omniũ Hebraicarum rerum ſcientiſſimi ſcriptis, ſed etiam ex Deuteroſi, nondum prorſus interciderat. Nam hoc quoque doctrinæ genus, ætate Hieronymi, aut paulo pòſt, conſcriptum eſt: verſúſque illorum carminum quæ paſſim in ſacra hiſtoria ſunt, ſi non omnes, plurimi ſaltem, in ſuum nitorem, ſyllabarum lõgitudine & breuitate obſeruata, atque in pedes cum venuſtate procurrente, ſunt reſtituti: cùm antè librariorum incuria permixtè & confusè fuiſſent ſcripti; ſeculis verò ætatem D. Hieronymi conſequentibus, quàm parum in ſyllabis, & metricis pedibus, ex arte qua ſuis locis repoſiti tunc fuerunt, concinnandis, ſit elaboratum, libri qui apud nos ſunt, indicant. Vide quid de Hebręa poëſi ſentiat Card. Bellar. in lib. inſt. linguæ ſanctæ cap. 5. vbi Rhythmicas & metricas leges, quæ in vſu hodie ſunt, breui complectitur.

In carminibus Hebraïs ſunt metrici numeri.

Car[illegible] n ira hymni in ſacris literis conſeruantur.

Poeſis Hebræa floruit olim.

D. Hieronym. Hebraicarum rerum ſcientiſſimus.

Bellarm.

VIII. Quidquid tamen ſit de Hebraicis numeris; Cantica ipſa, quæ ad nos in ſacris literis conſcripta peruenerunt, magni facienda ſunt: ſiue enim de aduerſis cogites, ſiue proſpera mediteris, ſemper in iis animus ſua inuenit pabula; ſemper Deum bonis fauentem; ſemper malis, ſi obdureſcant, ſuſcipit iratum: atque has diuinæ potentiæ expertus vices, ad pietatis caſtra, qualia fuerunt Iſraëlitica ſub Moſe & Maria prophetiſſa, conuolat, poſt rubri maris tranſitum, lætum Pæana, in Dei laudem & inimicorum Dei contumeliam, modulatè perſonantem auditurus. At hîc quali affici animum putas voluptate? præ lætitia quaſi emoritur Habacuc, hæc meditatus: lætúſque reſponſum accipit, quod cantico ſuo inſeruit, de ſui populi ex Babylonica captiuitate felici in patriam reditu; ſimúlque de Chaldæorum futura ſtrage. Sic interpretor verſum illum: *Audiui: & conturbatus eſt venter meus; à voce contremuerunt labia mea: Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.* Ad hunc quoque ſenſum arbitror, quæ ad finem vſque can-

In canticis animus variè ad pietatem afficitur.

Habacuc qua occaſione canticum compoſuit.

Habacuc 3.

tici sequuntur, adaptanda.

Habacuc hostium damnis commouetur.

IX. Sunt qui hæc verba ita cum superioribus componant, vt sensus sit Habacuc, affectu humano, Chaldæorum, licet hostes fuerint sui populi iuratissimi, incommodis, & internecione, quã ex oraculo didicit illis inferendam, commoueri. Quasi dicat: Mirabilia opera ô Domine, quæ hucusque recensui, te frequenter patrasse pro tui populi salute contra illius aduersarios, audiui: atque ad eundem modum, te reuelante, idipsum, te rursum facturum intellexi: ac proinde eam futuram hostium nostrorum calamitatem, vt ex ipsa præuisione, præ horrore conturbata sint in me omnia interiora mea: & propter vocem tuam, quam mentis percepi auribus; etiam labia mea, dum loqui vellem, contremuerunt. At non magnum est, vt nunc horrore cladis inimicorum futuræ, ad tempus ita commouear, vt quædam veluti putredo ingrediatur in ossa mea, & sub me quasi ebulliat: dummodo id mihi aliquandô concedatur, vt quiescam in tempore tribulationis super impios, qui nobis sunt exitio. Erit tunc, cùm è Babylone ascendere valeam ad populum nostrum accinctum, & bellica virtute clarum, & cum eo rursum promissionis terram obtinere: fore nanque video regionis hostium nostrorum tantam vastitatem, vt ficus non efflorescat, nec sit in vineis germen. oliuæ fructus, auari domini spem, qua illum lactauerat, illudet: & agri semente facta, non proferent cibum: quidquid gregis fuerit in ouili, prædæ erit: nec in præsepibus inueniet bubulcus armenta. Placuit hæc interpretatio Cornelio Iansenio, in enarratione cantici prædicti: facitque ad id quod propósuimus, quadam ex parte confirmandum.

Damna inimicorum præcognita pariunt horrorem prophetæ.

Vastitas terræ Chaldæorum.

Iansenius.

Conturbatio Habacuc lætantis est.

Arist.

Nimia lætitia mortem aliquando affert.

Liuius Dec. 3. lib. 2.

Chilo Lacedæm.

Terent. in Eunuch.

X. Mihi tamen versus hic, *Audiui & conturbatus est venter meus, &c.* magis videtur lætantis atque gestientis affectu & verbis plenus. Cùm enim lætitiæ motus, sicut & tristitiæ ex corde promanet, eodémque desinat, vt autor est Aristoteles: si cor nimia efferatur lætitia, non solùm conturbari necesse est, sed etiam opprimi, & interdum perire. Quis nescit, quod à Liuio narratur, post cladem à Romanis ad Thrasymemnum acceptã, fœminas duas, quòd subitò filios, quos interfectos in bello audierant, incolumes viderint, præ gaudio cecidisse exanimatas? Immodica periit lætitia Lacedæmonius Chilo, cùm filium complecteretur, Olympiæ coronatum. Quid quòd prouerbiali hyperbole; *Emori risu*, non solùm comicus poëta est vsus: sed vulgus etiam nostrorum hominum? Sed & id quoque effusæ lætitiæ & propè gestientis peculiare est, vt

qui ingenti gaudio perfusi sunt, hilares & alacres, si tam læto felicique tempore mors aduenerit, morituros se affirment. *Iam lætus moriar* (inquit Iacob filio suo Ioseph) *quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Iulius Cæsar quibusdam suorum suspicionem iniecit, se iam pridem potentiæ gloriæque adeptum, neque voluisse viuere diutiùs. Nec mirum; *mors enim,* vt Tullius inquit, *tunc æquissimo animo oppetitur cùm suis se laudibus vita occidens, consolari potest.* Hoc ipsum Chærea apud Terentium expressit, cùm impotenti elatus gaudio, exclamat:

Prouerbium Emori lætitia, quid indicet
Gen 46.
Cæsar abundans gloria mori optat.
Tullius.
Terent.

Nunc tempus profectò est, cùm perpeti me possum interfici,
Ne vita, aliqua hoc gaudium contaminet ægritudine.

XI. His similia, hymnidicis intentus modis, tradit Habacuc. Magnitudinem nanque gaudij, quod exaudita Iudæorum liberatione, mente perceperat, gestientis lætitiæ affectibus impulsus, qua potest exaggeratione, describit: Audiui, inquit, & quod speraui, iam video: (induit autem Iudaici populi personam) Indicatum mihi est fore, vt ego in die vastationis, & tribulationis requiescam: lætitiáque & honore cõspicuus ad populum ascendam accinctum nostrum. Ad terram deiicietur Babylon, & funditus vastabitur. Adueniet illi, vt mihi præmonstratum est, tam insignis desolatio & ruina, vt cultoribus partim occisis, partim in prædam abductis, arua sine frugibus squalleant; & in posterum neque ficus floreat, neque vineæ: neque oliua fructum afferat expectatum, neque agri cibum. Deerit in caulis pecus, & in præsepibus armentum. Ego autem honorificè in libertatem vindicatus, in Domino gaudebo, & exultabo in Deo saluatore meo; qui pedes mihi ceruorum instar dabit, & super excelsa mea deducet me, victori in Psalmis canentem: Hæc audiui, inquit, & dum mentis auribus tam optata nuntia, quasi modulatum carmen, ausculto; cor meum, & quidquid intra me est, intremuit.

Habacuc felicitate promissa Israelis lætatur.

XII. Nec mirum quòd in vate ostendantur exterius, commotionis internæ indicia. Ad subitas enim animi turbationes, siue illæ à dolore, siue à lætitia oriantur, è cunctis corporis membris, tria maximè solet commotio inuadere, genua, labia, & cor. Et verò, ventris vocabulum Hebraica dialecto, pro corde vsurpauit propheta. Illud autem; Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat: periphrasis est mortis. Est enim (vt autor est Aristot. in problematis) mors, putredo quædam. Quare sensus est; quid mihi vita opus est productiore? Moriar iam, moriar. Audito quippe

Tria corporis membra solent indicare internã commotionem.
Putredo in ossibus quid
Aristot.
Mors putredo quædam est.

pe tam hilari nuntio, sic affectus sum gaudio, vt & intus totis visceribus; exteriùs quoque labiis contremuerim: patúmque absfuerit quin exanimatus putrescerem, & putridus scaterem vermibus. Quid si labiorum tremorem ad oracula referas, Israëlitico populo, balbutientibus præ hilaritate labiis, annuntiata? Huiusmodi sunt hæc futurorum nuntia, vt mori statim cupiat, ne tanta lætitiæ voluptas diutiùs viuendo, aliqua tristitiæ nubecula superueniente vitietur. Vides quàm efficax sit ad permouendos in vtramque partem affectus, attentio, qua diuini vates, siue meditentur bonis collata à Deo beneficia, siue irrogata impiis supplicia, oraculis aures præbent? Audita ipsi Dei responsa venerãtur primùm: deinde hymnis & canticis, ne è memoria excidant, cócelebrant: tandémque, vt mores instruant, & pietatem commendent, populo metri suauitate delinito, quid factum aut futurum sit, vtiliter annuntiant. Sic nulla est reipublicæ pars ad quam ex canticis veteris nouique Testamenti, fructus aliquis non peruadat.

Mori cupiunt qui valdè læti sunt, ne tristitia, viuendo diutiùs, gaudium vitietur.

Vtilitas ex canticis diuinis.

XIII. Possem, de hymnis, qui passim in Ecclesia, cùm in publica tum in priuata sacrarum precum recitatione, decantantur, multa in hunc locum conferre: sed cùm eorum nota sit omnibus vtilitas, & latè pateat lætitiæ fructus, quo Ecclesiæ filios quotidie exhilarant, non est opus in eorum commendatione immorari. Dumtaxat nostri est instituti, antiquas patrum & prophetarũ cantiones, & hymnos, quali fuerint spiritu editi, & quos in nobis excitent affectus, in exordio commentariorum, quos in primum omnium, quæ extant, canticum edidimus, explanare. Cùm verò omnia veteris Testamenti cantica, Spiritus sancti, quo afflati prophetæ ea cecinerunt, gratiam humanis negotiis præsentem, & quasi aspectabilem, contineant: nósque ad Christum, quem omnia oracula suspirant, quasi manu deducant: hoc maximè in Mosis cantico elucet: in quo, & religionis studium, populo Israëlitico, post Ægyptiacam seruitutem, Dei laudes concinente, excitatur: & Christus Dominus, mortis & Tartarei Pharaonis victor, populum electum, quem à peccati vinculis in libertatem asseruit, non obscuro significatu, in promissam inuehit felicitatem. Quare si cantici huius scopum quæris, Iesus Christus est: quo duce, à peccatorum durissimis ergastulis soluti, & à procelloso vitæ huius mari ad B. vitæ optatum littus enatantes, diuinas carminus laudes.

Primum omnium quæ extant, canticũ.

Omnia oracula Christum suspirant.

Scopus huius cantici Christus est.

XIV. Vnde Habacuc, hostium populi Dei detrimenta prædicens, ad Christum conuertitur, & mirifico delibutus gaudio,

Habacuc 3.

quòd

quòd veræ religionis castra, in quibus Deus signifer est, sit sequutus, impiis Chaldæis insultans, & sibi applaudens, ait: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Apud sacros interpretes, gaudere in Domino, est de illius quo nos regit imperio, & protectione, gloriari: proque acceptis ab eo muneribus, gratias ei cum hilaritate rependere. Hoc facimus, quoties Mosis & Israëlitarum cãticum recitantes, quidquid boni ac læti interiùs aut exteriùs nobis contigit, Deo acceptum ferimus. IESVS verò nomen quamuis in hoc loco proprium non sit, sed appellatiuum, salutem videlicèt significans, ad Christum tamen nostræ salutis propugnatorem refertur. Vnde Pagninus ex Hebræo vertit: *In Deo salute mea*, id est, salutis meæ autore. 70. Interpretes σωτῆρί μου, id est, *salutari, vel saluatori meo.* Hieronymus, vt vnico verbo totam cantici patefaceret allegoriam, & scopum indicaret ad quem omnia spectant cantica, ipsum reposuit Iesu nomen: quod, Saluatorem significare, angeli testimonio, Matth. 1. didicimus: fuitque Seruatori nostro proprium.

Quid sit gaudere in Domino.

Iesus nomẽ in cãtico Habacuc est appellatiuum.

Pagninus.

70. Interpr.

Hieronymus.

Matth. 1.

XV. Atque, vt perspicias, Dæmonum & mortis triumphatori Christo, primum omnium, quæ in sacris literis habentur, canticum; hoc est, ipsummet quod à nobis est explicandum, dedicari: illa verba versus 2. eiusdem cantici recole, *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Quis enim factus nobis est in salutem nisi Iesus? propterea subiungitur: *Iste Deus meus, & glorificabo eum.* Ad Iesum respexit Habacuc ad finem carminis sui, tanquam ad largitorem bonorum; & malorum pulsorem, dicens; *Super excelsa mea deducet me, victor, in Psalmis canentem.* In Hebræo pro *victor*, est; *victori*, in dandi casu; in quo etiam, in titulis Psalmorum, idem vocabulum perpetuò adscriptum inuenies: satísque ex D. Hieronymi commentariis ostenditur, iuxta Hebræum codicem, *victori*, legendum esse, non *victor* vt vulgata habet editio. *Deducet me*, inquit, *super excelsa*, hoc est, ad vranopolim illam excelsam, beata Angelorum, & sanctorum hominum societate florentem, vt ciuibus illius cooptatus, victori Christo canam gloriam.

Christus factus est nobis in salutem.

Hieronym.

XVI. Quid, quòd moris est sacræ Scripturæ, victorias omnes, atque prosperos rerum euentus, Deo, vt par est, semper adscribere? hoc fecit Dauid 1. Paralip. 29. *Tua*, inquit, *est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria.* Et Iephte Iudic. 11. alloquens Regem Ammonitarum: *Nónne*, ait, *ea, quæ possedit Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster, victor*

Mos est sacræ Scripturæ, Deo adscribere prosperos rerum euentus.

1. Paralip. 29.

Iephte. Iudic. 11.


Sap.20. *obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Scriptum quoque est, Sap. 20. vbi de admirabili exitu filiorum Israël, de Ægypto, sermo est: (in quo argumento, Epinicion siue victoriale carmen, de quo agimus, sublimi & prorsus heroico versatur stylo,) *Iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter, &c.* Si ergo Christi, multis retro seculis à Iudæis sperati, merito & potentia, Ægyptij cum Rege suo, & amplissimis copiis, in mare demersi sunt, & à fluctibus deuorati; si ductu angeli, qui Saluatoris vices gerebat, vndarum, instar muri, hinc inde astantium, cumulos, Israëlitæ innoxij transierunt; cui potiùs dicendum est, dicari carmen à Mose in tanta lætitiæ voluptate compositum, & à Dei populo modulatè repetitum, quàm Christo, qui in ea liberatione quasi in vmbratili triumpho, futuræ prolusit veritati? Tantum de vtilitate, & metri ratione.

Carmen Epinició, siue victoriale.

Carmen hoc Christo dicatur.

IN





IN CANTICVM Mosis primum,

HENDECASYLLABON: Quod instar argumenti est.

Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.

VOs, qui Castalij liquoris haustum,
Gustatis; Latij & leporis vndam:
Ætatem pudeat dedisse nugis.
Quicquid carminis hactenus probastis,
Mendax inquinat, & profanat autor.
Quid Martis, Veneris, Iouisq; furta
Auditis stupidi? vocat propheta
Moses vos aliò: Deumq; laudans,
Hymno concelebrat modestiore.
Magni ostendit ouans Dei tribunal
Hebræis fidibus: docétque Reges
Fidendum Abramidûm Deo potenti:
Qui Nilotica sceptra fregit: atque
Gentem falciferis rotis superbam,
Vt plumbum pelago hausit in profundo:
At, qui seruitio luti gementes,
Noctes atq; dies Deum inuocarunt:
His miracula dextra vorticoso
In fluctu Domini patrat: furorem
Rident hi stolidum hostis insequentis.
Bellatoris equi impetum, & minaces
Romphæas timeant globi impiorum:

Iustorum placida quiete cætus
Æuo & lætitia interim fruatur.
Illis ter geminos minatur ignes
Vltrix ira Dei: his beatitudo
Promissam in patriam parat receptum.
Chami progeniem metu pauentem,
Quæ nunc iugera possidet Sionis:
Dum persoluet ouans preces quotannis,
Victori Domino cohors redempta,
Et supplex sua vota nuncupabit:
Immotam,& lapidem,rigor tenebit.
Ergò postpositis locis profanis
Quò mentem pietas vocat, volemus.
Iustorum citharas, grauésque cantus
Aures percipiunt. Chorus virorum
Hinc; inde ad modulos chorus vicissim
Aptat fœmineus sonos, pedúmque
Saltus,tympana,fistulas,choreas.
Cantemus Domino (inquiunt) potenti:
Cantemus Domino (inquiunt) faueuti:
Cuius magnificis,Olympus, astra,
Tellus, vnda maris, iubárque solis,
Plaudunt laudibus. Ille ter beatus,
Quin & ter quater est beatus ille,
Qui miranda Dei canit vel audit,
Iustis se associans, vbique facta.



IN CANTICVM MOSIS ET FILIORVM ISRAEL EGREDIENTIVM EX ÆGYPTO,

ARGVMENTVM.

I. POSTQVAM, *admirabili Dei virtute, Israëlitæ ex Aegypto egredientes, vlteriorem maris rubri partem tenuerunt: vsurpantes oculis hostium exercitus, inundatione aquarum, cum Pharaone, & falcatis curribus demersos; imò ad ipsum quoque, in quo erant, littus, eiecta fluctibus cadauera: incredibili gaudio, ac lætitia propè gestienti delibuti, ad diuinas laudes, pio iuxtà atque religioso conuersi sunt instituto. Moses, vt populus à tam insigni clade liberatus, Deum tanti facti ducem, aptè laudaret; carmen condidit Epinicion: quod, ipso præcinente, chorus modulatè adcantans excepit. Mosen verò imitata Maria, illius soror, choros instruens fœminarum, effecit vt in gratiarum actionem vterque sexus ora solueret lætabundus.*

II. *Porrò tripartita est carminis huius diuisio. Primùm hortatur Moses Hebræos ad concinendas Dei laudes; cuius, in transitu maris rubri, gloria ipsis spectatoribus magnificè declarata est. Id significant hæc verba,* Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est. *Deinde, prodigijs cælestibus illustrē, & nullis retro seculis auditam, Israëliticæ gentis à captiuitate liberationem commemorat: eámque vi & armis impedientium Aegyptiorum interitum; quo, à Deo, contumaciæ indomitæ supplicium irrogante, mulctati, exemplo cæteris fuêre mortalibus, parendum esse Numini, insaniréque eos qui barbara temeritate bellum cælo moliuntur. Hoc illud est:* Equum & ascensorem deiecit in mare. *Tertiò futuram aliquando eiusdem populi in promissam terram introductionem, partim orat, partim prophetica denuntiatione prædicit: idque nunc per verba præteriti temporis, nunc per verba futuri:* Exodi 15.

turi: sic tamen de futuris, ac si præterita essent, more prophetarum locutus. Hæc superiori sententiæ attexuntur ab illis verbis: Dux fuisti in misericordia tua, populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum, *vsque ad elegantem totius cantici coronidem. Tantum de argumento.*

ADMONITIO.

Non est nostri instituti, integrum caput Exodi, quod Mosis canticum complectitur, enarrare: id negotij aliis datum sola contentus sum apocope, siue abscissione, quæ viginti duobus clauditur versibus. Hi nostri stadij carceres: hæc meta.

CAPITIS XV. EXODI
APOCOPE:

In qua, & occasio carminis à Mose atque Israëlitis decantati, & ipsum carmen à nobis explicandum continetur.



Exod. 15. XORDIVM cap. 15. Exodi, ad sententiam refertur proximè adhibitam: cuius verba continent miraculum, quod Mosem impulit ad Epinicion, siue adeptæ victoriæ triumphum, carmine celebrandum. Miraculum hoc omnium quæ hominum memoria recordatur, maximè stupendum; paucis sic exprimunt
Exod. 14. sacræ literæ cap. præcedenti: *Filij autem Israël perrexerunt per medium sicci maris & aquæ, eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris. Liberauitque Dominus illa die Israël de manu Ægyptiorum &c.* Nos quoque Deo, tanti beneficij autori, idem miraculum heroico metro (quid enim esse potest heroica grauitate magis dignum) ita graphicè adscripsimus:

Tu maris irati stagnantes diuidis vndas.
Et vada siccato pedibus das peruia fluctu.
Castra per obscuras, flamma præeunte tenebras
Isacidum properant: donec iam littore tuti
Consilia irrident Pharij malè sana tyranni:
Adcantántque tuæ miracula plurima dextræ.

Iam ad enarrationem veniamus. Exordium cap. 15. sic habet.

SECTIO PRIMA.

Vers. I. *Tunc cecinit Moses, & Filij Israël, carmen hoc Domino, & dixerunt.*

Vatab. Hebraicè, iuxta Vatab. *Tunc cecinit Moses, & Filij Israël canticum istud Domino, & cecinerunt in hunc modum.*

Pagn. pro, *dixerunt*, vertit, & *dicentes dixerunt.*

Pagn.

70. Interpr. nihil habent diuersum à vulgata translatione.

EXPLICATIO CONTEXTVS.

I. PArticula, *Tunc*, refert historiam præcedentem, quasi dicat sacer historicus, post submersos Ægyptios in mari, & commorationem Hebræorum in littore, ad quod miraculo sunt appulsi, tunc cecinit Moses &c. Vbi vides apertè significari, ex miraculo profectam fuisse occasionem metricę compositionis. Atque, vt Mosis animum pernoueris, qui in Dei laudes auidè, accepto beneficio, prorupit, audi Greg. Nyss. in lib. de vita ipsius, eleganter rem ipsam, & breuiter perstringentem. [Percussis, inquit, Ægyptiis, suáque publicè ac priuatim mala lugentibus, educit Moses populum, diuitiis simul Ægypti abductis. Verùm, cùm iam tribus peragrasset diebus, videt, pœnitentia ductum hostem, cum magno exercitu, & instructissimo equitatu, ad se festinantem. Quæ res non mediocriter imbellem populum in Mosem concitauit; at ille, intrepidus, voce quidem populum, vt in Domino spem haberent, hortabatur; animo autem ad Deum penitus conuersus, auxilium tacitus implorabat: quo recondito clamore creator exoratus, præsto miseris, ac mirabiliter, adfuit. Nubes enim, quæ, Dei iussu, non natura, præcedebat, non presso aëre vaporibus, constituta: sed aliud quippiam diuinius atque altius quàm humana mens percipere valeat, quæ in die solis ardores temperabat, & noctu, in ignem versa; noctis & frigora temperabat, & tenebras remouebat. Hæc, inquam, nubes, quam veluti ducem sequebātur, priore omisso itinere, in rubrum mare ducebat. Deuenerunt igitur sequuti ducem Hebræi, vsque ad littus: quos Aegyptij persequuti vndique ita concludebant, vt nulla iam fuga, humano consilio posset excogitari. Ante ipsos mare rubrum erat: post ipsos, validissimus atque instructissimus Aegyptiorum exercitus. Tunc summus ille vir, diuinitus admonitus, ad littus descendit, maréque rubrum virga percussit, & subitò, vt in vitro facta scissura, facilè ex altera parte in alteram peruenit. Sic ictu Mosaicæ virgæ in oppositam vsque ripam, hinc atque hinc cedentibus aquis, scissura peruenit. Itaque facto per medium pelagus itinere, vtraque ex parte, vndis aquarum quasi muris consistentibus, ingreditur, Deo fretus, cum populo, Moses, quem Pharao impetu animi concitatus insequitur. Sed mare virga percussum, in pristinum statum reducitur, ac Aegyptios omnes obruit. Hebræi verò in oppositum littus incolumes cùm peruenissent, cantum Deo, qui gloriosum aduersùs hostem sibi trophœum præbuerat, grato animo cecinerunt.] Hæc Greg. Nyssenus.

Greg. Nyss.

Pœnituit Pharaonem data facultatis abeundi Israëlitis.

Moses animo ad Deum conuersus, auxilium implorauit.

Nubes ductrix fuit via Israëlitis.

Moses, Dei iussu petens, mare percussit

Mare, vt vitrum, scinditur virga Mosis.

Eiusdem virga tactu reducitur in pristinum statum.

II. Iosephus ad eandem sententiam loquitur cap. vlt. lib. 2. Antiquit. *Hebræi, inquit, tum sua salute tum inimicorum supplicio læti, magis quàm vlli antea homines in hymnis & hilaritate totam noctem exegerunt. Moses verò carmen laudis Dei & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit.* Hæc ille. Ad alias particulas veniamus.

Ioseph. lib. 2.

Canticum Iosephus ait hexametro decurrere.

III. *Tunc cecinit Moses, &c.* In Hebræo est, *cantabit*, pro, *cecinit*. Sed idem sensus est: licèt Caietanus putet referri futurum, cantabit ad verbum crediderunt, quod positum est ad finem capitis 14. Sic enim dicitur, *& crediderunt Domino,*

Caietanus.

Exod. 14.

Domino, & Mosi seruo eius. Maximè namque decebat vt hymnus gratiarum, benefactori Deo persolueretur, quando crediderunt. Oleaster, ex Hebræis aduertit, verbum, *sur*, quod hîc ponitur, idem esse quod cantare & aspicere. Fortè ex scripto carmen modulabantur Hebræi inspectis notis, vt passim fit, Mose, tanquam phonasco, præeunte cantorum turbam.

Oleaster.

Ex scripto canitur.

Vers. I. *Tunc cecinit Moses & filij Israël carmen hoc Domino.*

Contineantúrne vera carmina in hoc cantico? 1

ANNOTATIO I.

Hæreticorum opinio de metris sacris.

I. Dubitari solet an canticum hoc Mosaicum soluta oratione, an verò carmine conscriptum sit, & quidem Lutheri sectatores, aliíque hæretici, negant esse in sacris Scripturis vera carmina, verámque poësim, quibus accedit Iulianus Augustus, fidei Christianę olim desertor, & impudentissimus apostata. Accusabat is, fanatico errore delusus, Eusebium Cæsariensem, quòd multas carminum species, in veteri Testamento reperiri, vulgo persuasisset; vt refert Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iulianum. Quid sentiant Lutherani, vide apud Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 5. Nam contra Iulianum, quippe qui in rebus fidei nugari soleat, non opus est argumentis.

Iuliani Apostatæ error. Euseb. Cæsar. Cyrill. Alex. Bellarm.

II. Horum impium dogma, vel ex psalmis vnius Dauid, satis confutatur. Primùm 2. Paral. 7. sic dicitur: *Sacerdotes stabant in officijs suis, & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex, hymnósque Dauid canentes per manus suas &c.* Secundò, elegans locus adducitur ex 2. Reg. 23. *Hæc sunt verba* (inquit sacer Historicus) *nouissima, quæ dixit Dauid filius Isai egregius psaltes, &c.* Adde illud ex Eccles. 47. vbi de Dauid sic dicitur; *Stare fecit cantores, & in sono eorum dulces fecit modos.* Quis ergò negare audebit rhythmicam inesse in carminibus Dauidicis compositionem? Tertiò audi Ecclesiæ totius iudicium, vocat enim, recitans Venantij Fortunati poëtæ Christiani Hymnum, Psalmos Dauidicos, carmina:

2. Paral. 7.

Psalmi metro scripti sunt. 2. Reg. 23. Eccles. 47.

Venantius Fortunatus.

Impleta sunt, quæ concinit
Dauid fidelis carmine.

Sedulius. Et Sedulius antiquissimus poëta, in suo opere Paschali, sic ait:

Cur ego Dauidicis assuetus cantibus, &c.

D. Hieron. Quartò D. Hieronymus, in prologo, qui præfixus est sacræ Scripturæ ad Paulinum, de Dauide sic scribit: *Dauid, Simonides noster, Pindarus, & Alcæus Flaccus quoque, Catullus atque Serenus, Christum lyra personat, & in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem, &c.*

III. Confutatur etiam error dicentium non inueniri in veteri Testamento carmina; vel ex hoc nostro cantico; quod nemo, qui eruditus sit, aut bonis literis tinctus, inficiabitur metro constare, eóque hexametro, vt Iosephus suprà citatus, non temerè affirmauit. Iam D. Hieronymus, quid de hac re sentiat, in præfatione lib. Iob, ita edisserit. In lib. Iob à verbis illis cap. 3. *Pereat dies, in qua natus sum,* vsque ad eum locum cap. 42. vbi ante finem voluminis scriptum est, *Idcirco, ipse me reprehendo in fauilla & cinere,* hexametri versus sunt, dactylo spondæóque currentes, & propter Idioma linguæ, crebrò recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quo-

Canticũ Mosi, hexametro versu compositum est. D. Hieronym. Iob. 3. Heroica carmina apud Iobum.

que rhythmus ipse dulcis, & tinnulus fertur, numeris lege solutis, quod metrici magis quàm simplex lector intelligunt. Deinde addit idem Hieronymus imperitorum præuidens calumniam: Quòd si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel psalterium, vel lamentationes Ieremiæ, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi: legat Philonem, Iosephum, Origenem, & Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio, me verum dicere comprobabit. Hæc ille. satis ergò constat non solùm canticum nostrum, sed omnia etiam cantica, quæ in sacris literis leguntur, astricta esse numeris, & versus continere quamuis metricæ scientiæ cognitio ad nos non peruenerit: quod in præfat. num.4. annotauimus. Idem obseruat Genebr. super cap.1. Canticorum. Constat, inquit, carmine; sed huius ratio metri excidit, vt & psalmorum, Iobi, prouerbiorum. Quæ enim oratio hodie coërceri pedibus dicitur, recens est, & ab aliis linguis ducta. Hæc Genebr.

Hieronym.

IV. Accedit, multos Psalmos ordine alphabeti conscriptos ita esse, vt vnusquisque versus ab vna litera incipiat, quod acrostichi metri proprium est. Tres Psalmos hoc artificio compositos enumerat D. Hilarius, videlicet 110.111.118. quibus addit Hieronymus in Epistola ad Paulam Vrbicam, 144. Et in præfatione super lib. Regum, quæ incipit: *Viginti duas literas*, 36. Præter hos quinque veritas Hebraici Psalterij, duos adiungit, 24.& 33. Ex iis septem Psalmis, 36. interpolato procurrit alphabeto. Obseruant hunc septem Psalmorum alphabeticè incipientium numerum Caietanus, Titelmanus, Iansenius, Genebrardus, Sixtus Senensis lib.1. suæ Biblioth. verbo Psalterium. Hoc etiam alphabetico ordine conscripti sunt, Threni Ieremiæ: & cap.31. Prouerb. quæ appellatur Metropœdia Lamuelis Regis. Huius acrostichæ compositionis exemplum extat in hymnis Ecclesiæ. Sedulius nanque Presbyter hymnum composuit ab A, vsque ad X, & Z, progredientem. Litera A, cernitur in primo carmine: *A solis ortus cardine*; B, in secundo: *Beatus autor seculi*. C, in tertio: *Castæ parentis viscera, &c.* Cuius hymni pars est ille qui in die Epiphaniæ canitur: *Hostis Herodes impie.* vbi acrostichon est, H. Deinde I. *Ibant Magi, quam viderant.* Mox L. *Lauacra puri gurgitis &c.*

Acrostichi versus in sacra Scriptura non pauci.
Hilarius.
Psalmi septem alphabeticè incipiunt.
Caietanus.
Titelmanus
Iansenius.
Sixtus.
Threni.
Prouerb.31.
Sedulius.

V. Quid referam metaphoras, aliósque poëseos modos, & schemata versuum propria, & quæ sine metro, vix rectè adhibentur? Epizeuxin desideras, hoc est, combinationem similem illi quæ apud Virgilum est 9. Æneid. *Me me adsum qui feci &c.* An non est Epizeuxis satis elegans in verbis Psalmi 136. *Qui dicunt, Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Et in Psalmi 36. *Qui dicunt mihi, Euge euge &c.* Quid dulcius habet apud Horatium, Ibimus, Ibimus? & Ilion, Ilion. & apud Virgilium:

Ipsa sonant arbusta, Deus Deus ille, Menalca?

Vis Anadiplosin? Consule Psalm.121. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem, Hierusalem, quæ ædificatur, vt ciuitas.* Est autem Anadiplosis, reduplicatio, qua finis vnius sententiæ repetitur in sequenti, quale est illud Eclog.8. apud Maronem:

Sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in syluis: inter Delphinas Arion.

Rursus:

Schemata.
Epizeuxis.
Virgil. Æneid. 9.
Epizeuxis.
Psalm.136.
Psalm.36.
Horat. lib.4. carm. od.1.
Et lib.3. od.3.
Virgil. Eclog.5.
Anadiplosis.
Psalm.121.
Eclog.8.

Eclog.10. *Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,*
Gallo, cuius amor tantùm mihi crescit in horas, &c.

Anaphora. Anaphora, vel Epanaphora, Figura est, qua ab eadem voce, sæpius repetitæ
Psalm.28. incipiunt sententiæ: Inuenitur in Psalmo 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum &c.* Et statim: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: vox Domini &c.* An videtur tibi elegantiùs dictum:

Eclog.10. *Tibi venit Apollo:*
Venit & agrestis capitis Syluanus honore:
Pan Deus Arcadiæ venit?

VI. Et 4. Georg.

Georg.4. *Te dulcis coniux, te solo in littore secum,*
Te veniente die, te decedente canebat?

Epistrophe. *Psalm.135.* *Martialis.* Epistrophe elegantissima est in Psal. 135. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.* Et sic deinceps post interpositam quamlibet sententiam repetitur; *Quoniam in æternum misericordia eius.* Sic etiam Martialis lib.2. assumit idem hemistichium, in hoc Epigrammate:

Capto tuam, pudet heu! Sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas alias: Iam sumus ergo pares:
Manè salutatum venio; tu diceris isse
Antè salutatum: Iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidiq; ante ambulo Regis:
Tu comes alterius: Iam sumus ergo pares.

In hac repetitione quid leporis inesse potest, nisi adsit metricus concentus?
Aposiopesis. *Psalm.6.* Quid memorem aposiopesin illam, siue reticentiam, Psal.6. Sed tu Domine vsquequò! Sic Virgilius Æneidos.1.

Virgil. Æn. 1. *Quos ego? sed motos præstat componere fluctus.*

Terent. *Apostrophe.* *Psalm.136.* *Psalm.113.* Et Terentius, *Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non?* Desiderabis apostrophen, seu conuersionem, ad diuersam personam. Accipe à Regio vate exempla, Psalm.136. *Filia Babylonis misera, &c.* Psalm.113. *Quid est tibi mare, quòd fugisti? Et tu Iordanis quare conuersus es retrorsum?* An iucundior tibi est illa vox, qua Æneas apud Virgilium, sic apostrophatur?

Virg. Æne. 2. *Troiaq; nunc stares Priamique arx alta maneres.*

Prosopopeia. *Psalm.18.* *Psalm.94.* Accipe & prosopopeiam Psalm. 18. *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei*; Et Psalm.94. *Flumina plaudent manu &c.* Sic Poëta:

Virg. Eglo. 8. *Mænalus argutumq; nemus pinosq; loquentes*
Semper habet: semper pastorum ille audit amores.

Circulus. *Psalm.8.* VII. Circulus siue reuersio ad primum initij versum est in Psalm.8. In quo primus versus, nimirum: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*; ita ad finem repetitur, vt Epilogus sit, quod fuit prooemium, sic apud Virgilius totius operis pastoritij & rusticani principium fuit:

Eglog.1. *Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi.*

Finis ferè idem:

Georg.4. *Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.*

Epiphonema. An deest Dauidicis in Psalmis Epiphonema, siue rei narratæ acclamatio! Psal.86.

Psalm.86. Epiphonema est in illo versu; *Sicut lætantium omnium habitatio est in te, &c.* Psal.83. *Domine virtutum, Beatus homo, qui sperat in te:* & Psalm.8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Quæ energia est, in illa acclamatione Poëtæ Georg. 4. post exaggerationem industriæ apum in suo mellificio, dum ait: *Psalm.86.* *Psalm.83.* *Psalm.8.*

Tantus amor florum & generandi gloria mellis. *Virg.4. Georg.*

In hoc ipso carmine Mosaico, præclarum habes Epiphonema versu 11. Narrata nanque admirabili historia, in qua demerso Pharaone in mari, diuina virtus maximè eluxit, sic exclamat: *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*

Vers. I. *Tunc cecinit Moses, & filij Israël carmen hoc Domino.*

Quo artificio vsi sint Hebræi in canticis & Psalmis componendis.

ANNOTATIO II.

I. Hebraicum carmen ferè non idem est atque Græcorum, & Latinorum: vt neque Italicum, aut Lusitanicum, idem est atque Latinum. Quin Hebraicum, cum Italico ac Lusitano similitudinem potiùs refert, quàm cum Latino. Poësis quippe Latina, ad imitationem Græci carminis, tempora syllabarum obseruat: Hebraicum (vt annotauit August. Eugub. in præfatione ad suam Psalmorum enarrationem) nulla tempora: sed numerum dumtaxat, atque similitudinem cadentium syllabarum: sic non est in Lusitano carmine aut Italico spondæus; Trochæus, Dactylus, sed numeratio tantùm syllabarum, & obseruatio, vt similiter desinant, & cadant. Simile quiddam sequitur Hebraica poësis. Quare cùm Hieronymus ait, aut Iob, aut Psalmos, dactylo spondæóque decurrere: & cùm in præfatione, Iob, inquit, versu labitur: Et cùm August. cæterique auctores carmina Hebræis esse attestantur, intellige non hos ipsos præcisè pedes, nostrúmque carmen ab eis, sed simile quiddam designari. Itaque neque Heroicum carmen apud Hebræos extat, neque Iambicum aliáque genera, sed simile quiddam, & quale Barbari diuersis ritibus canunt; vt auctor est Eugubinus: qui in præfatione commentariorum in Iob, sic loquitur: [Iob, inquit, à principio vsque ad illum locum: *Pereat dies in qua natus sum*, simplex est historia. deinceps est veluti carmen: similitérque Psalmorum, & prophetarum, librorúmque Salomonis oratio. Hieronymo autem, ab illo loco, totum, excepta extrema historia, librum, pedibus spondæo & dactylo decurrere scribente, intelligendum est, non prorsus his pedibus, & eo syllabarum numero, sed quasi simili: cùm apud Hebræos, non vt apud Græcos & Latinos, tempora syllabarum numerentur, neque similia carmina habeantur: sicut nō sunt apud Latinos rhythmici Hetrusci:] Hæc Eugubinus. *Aug. Eugub.* *Hieronym.* *Non esse apud Hebræos heroicum aut iambicū carmen sed simile quid.* *Eugubinus.* *Hieronym.*

II. Hinc aliquis fortasse coniiciet, Hebræorum carmina, in similiter cadentes & desinentes abire dumtaxat dictiones: & hanc esse illorum metricam compositionem: quale est illud apud Isaiam cap.25. vers.6. *Faciet Dominus in monte hoc &c.* Nam Hebraicè ita sonat: *Isa.25.*

Exemplũ metri Hebraici.

Miſte ſemanim, miſte ſemarim:
Semanim memuchaim, ſemarim, mezu Ka Kim.

Quod Hebraicis characteribus, quos non paſſim inuenies apud typographos, ſcriptum vide in fonte. Latinè ita reddit, vulgata editio:

Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ,
Pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

Forerius. Aduertit Forerius, loco Iſaiæ indicato, venuſtiſſimam in vocibus Hebræis paranomaſiàm, quam literis Latinis apponit, quod & nos fecimus ne quis horridam putet, & inſuauem Hebræorum linguam. Adumbrat autem Iſaias illa veluti cantilena, ſpiritales cibos & mẽſas, ad fidelium epulares delitias, quę paratæ ſunt in Eccleſia Chriſti, inter quas, conuiuium Euchariſticum primum obtinet locum. Conuiuiũ Euchariſticum.

III. Cæterùm in canticis & Pſalmis non ſolùm ineſt paronomaſia, & verſuum cadentium ſiue deſinentium ſimilitudo, ſed etiam metrica elegantia quam interpretes, licèt peritiſſimi, ſeruata ſententia non potuerunt exprimere (vt Maſius annotauit ſuper 10. cap. Ioſue) vnde D. Auguſt. Epiſt. 131. cùm in hanc incidiſſet difficultatem, ſic ſcribit: Quibus numeris conſiſtant verſus Dauidis, non ſcripſi, quia neſcio: neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere: ne metri neceſſitate, ampliùs quàm ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur: certis tamen eos conſtare numeris, credo illis qui eam linguam probè callent. Amauit enim vir ille ſanctus muſicam piam & in ea ſtudia nos magis ipſe quàm vllus alius auctor accendit. Abeant ergo qui negant poëſim eſſe apud Hebræos, nec aliquid olim carminis apud eos extitiſſe. Satius eſſet D. Auguſtini modeſtiam imitari, qui, & artificium eſſe in canticis & Pſalmis poëticum fatetur: &, ſe præ linguæ illius ignoratione, illud aſſequi non potuiſſe.

Maſius. Auguſtin. Interpres Latinus, non potuit numeros in ſua verſione exprimere ex Hebræo metro.

Verſ. I. *Carmen hoc Domino: & dixerunt.*

Fuerintne Hebræi primi carminum inuentores?

ANNOTATIO III.

I. Hebræos, ante cæteros mortales, carminum fuiſſe inuentores vel hoc carmen Moſaicum probat. Quis enim producere poteſt aliquem autorem, qui ante ingreſſum filiorum Iſraël in terram promiſſam, verſu, aut ſoluta oratione, ſi Moſen excipias, quicquam literis conſignarit? Nam Homerus, quem antiquitas omnis, vt Muſatum parentem veneratur, annis ampliùs trecentis, poſt Moſen vixit. Inter alias ergo huius cantici excellentias, illa eſt palmaria, quòd primum eſt omnium canticorum, quæ ſiue in ſacris ſiue in profanis monumentis, fuiſſe vnquam ſcripta, ſit proditum. Nam Lini, Orphei & Muſæi, qui ante bellum Troianum floruere, hymnos, & carmina trecentis ferè annis poſt hoc Moſaicum carmen eſſe facta, certa temporum docet obſeruatio. Vnde Origenes in homil. ſuper hunc locum, canticum hoc, omnium quæ vnquam fuerunt poëmatum, primum appellat.

Homerus Muſarũ parens. Homerus poſt Moſem ſcripſit. Lini, Orphei, & Muſæi opera, non ab ipſis ſcripta ſunt, vt cõſtat ex chronologia. Origenes. Poëſis inuẽtor Moſes.

II. Quare, Hebræis adſcribendum eſt poëſeos artificium, & Moſi in primis,

mis, huius cantici scriptori. Quod affirmat Polydorus Virgilius lib. 1. de in- *Virg. Polydor.*
uentoribus rerum, cap. 8. Carminis verò à Mose archipoëta inuenti, leges didicit egregiè discipulus eius Iosue. Is namque vir sanctissimus (vt annotauit Andreas Masius, super Iosue, cap. 10.) carmine alloquutus est solem, quem à *Andr. Masius.*
motu suo retardauit. Carmen ita vertit Latinus interpres: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contrà vallem Aialon.* Hebræa ita sonant: *Sol in Gabaon sta, & Luna in valle Aialon.* Hæc namque verba in fonte, carmina sunt Hebræa, quæ Iambico, Tetrametro, & Acatalectico respondent: & aliqua quæ sequuntur. Idem confirmat Frater Ludouicus ex D. Francisci familia, lib. 9. globi cano- *F. Ludouicus in globo canonum.*
num, & arcanorum; vbi multa affert in hanc sententiam notatu digna. Et quidem cap. 1. inter alia contendit, nec immeritò, poëtæ nomen à Latinis vsurpatissimum, Hebraicum esse, aut Chaldaicum ex פיוט. *Pizet*, deriuatum. *Poëta nomen*
Vnde deducitur vocabulum פייטן. *Pattan*, id est, Poëta, & Græcè ποιητὴς, hoc *hebraum est.*
est carminum effictor siue artifex. Hinc patet exsibilandum esse Eliam Leui- *Elias Leuita.*
tam in Masoreth temerè docentem nullas vnquam, apud Hebræos, leges carminum, nullúmque proinde ab eis conscriptum opus versu extare. Eadem exsibilatione digni sunt Iulianus Imperat. apostata; & hæretici nostri tempo- *Hæreticorum error.*
ris, qui cantus Ecclesiæ illudentes, & conuitiis insectantes, affirmant, nihil esse in sacris literis versu conscriptum.

Vers. I. *Tunc cecinit Moses, & filij Israël, carmen hoc Domino.*


Quo ordine cecinerit Moses, & filij Israël carmen hoc Domino.

ANNOTATIO IV.

I. INprimis Oleaster hoc loco credit, Mosem, & mares omnes canticum in- *Oleaster.*
cepisse: fœminas verò, tanquam ex altero choro, respondisse: ita scilicet, vt Moses, aut solus, aut cum maribus canticum sit prosequutus: fœminæ verò responderint, siue repetierint. Hoc autem perspicuum esse arbitratur, ex fine cantici; vbi illius initium à Maria repetitur, quod solebat in aliis canticis fieri. Iuxta hanc sententiam, postquam Moses, & viri qui cum illo erant, exorsi sunt; Cantemus Domino, &c. & absoluerunt totum carmen: fœminæ, præeunte Maria, repetierunt idem exordium: Cantemus Domino, &c. Atque hac varietate à choro virorum ad chorum fœminarum perducta est cantio. Potest id confirmari ex vsu canendi Psalmos. Nam Psalmo 135. vbi vnus aut duo dice- *Psal. 135.*
bant: *Confitemini Domino: quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius:* chorus repetebat: *Quoniam in æternum misericordia eius.*

II. Explicatiùs hæc tractat Philo Iudæus, in lib. 2. de vita Mosis. Ob tantam, inquit, victoriam, Propheta celebrauit auctorem tanti beneficij. Distributa enim omni gente in duos choros; alterum virorum, & alterum mulierum: ipse viris carmen præiuit: sororem autem dedit præcentricem fœminis: vt illud in parentem omnium conditorem Deum, alternis canerent versibus, non discrepante à moribus carmine; dum certatim canunt suis vocibus, & carmen miscetur ex sonis acutis, atque grauibus. Virorum enim voces graues

C 3 sunt,



sunt, acutæ mulierum: vnde temperamentum fit commensuratæ suauitérque coaptatæ melodiæ. Et post pauca: Propheta gaudens vnà cum gaudente populo, & lætitiam intra se non continens, exorsus est canticum: id verò audiens populus, in duos choros secessit, & canentem imitatus est. Hæc Philo: qui in eo discrepat ab Oleastro, quòd arbitretur, alternis versibus canticum hoc cecinisse choros: hinc virorum, præeunte Mose: inde fœminarum, præeunte Maria: sicque alternatione frequenti, ad finem vsque perductum ab vtroque choro fuisse canticum. In re tamen incerta nihil certi statuo: video vtrunque ordinem aptè potuisse seruari, nec quicquam sacræ historiæ affirmari contrarium.

Philo. Oleaster.

III. Porrò ex titulo Psal. 4. constat, in huiusmodi choris, semper phonascum, qui scilicet sonum moderaretur, adfuisse. Titulus sic habet: *In finem, in carminibus, Psalmus Dauid.* Vox, *in finem*, Hebr. *Lamaceach*, non vno modo explicatur. Vide August. Eugub. in titulo Psal. 4. & 67. D. Hieronym. vertit, *victori*: alij, vt Caietanus, *vincenti*. *victor* autem hîc, vt Hebræi volunt, significat, quem Græci *Phonascum*, nos *præfectum cantorum* vocamus: illum scilicet, qui, veluti dux & magister, vrget cantores alios; cui ferè excellentior vox est, & exactior rei musicæ peritia. Ei, qui huiusmodi esset, dabat Dauid Psalmos ad musica instrumenta accinendos. Et quidem Moses impulsu diuino, quamuis dux esset & vertex populi, non existimauit autoritate sua indignum, hoc munus officij assumere: quod sanctissimus Rex Dauid maiorum sequutus exempla, sæpius cùm musicæ artis esset peritissimus, videtur assumpsisse, decorari purpuram non vitiari putans, quamlibet humili Dei obsequio, & gloria. Archimusicum siue ducem cantorum, quem titulus Psal. 4. in fonte victorem appellat; vulgus, *Chantre*, vocat à cantando; Hispani, *Capiscol*, quasi caput chori. Bredembarchius arbitratur, eum, quem in titulo Psalm. 4. vocat Hieronym. victorem, intelligi in verbis illis Habacuc 3. *Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.* Victor, hoc est, princeps cantorum.

Psal. 4. Aug. Eugub. Ps. 4. & 67. Hieronym. Caietanus. Bredembarchius. Habacuc 3.

IIII. Quod verò sequitur, in eiusdem Psalmi titulo: In carminibus, Hebraicè est, *Neguinoth*, quæ vox significat instrumentum musicum ad res lætas & victorias canendas institutum. Vnde, pro nostro tit. qui sic habet: *In finem pro carminibus*, Hebræi habent, *præfecto cantorum ad instrumenta musica.* Sic Vatab. & Felix. Lyranus verò ex Rab. Salomone per hunc titulum significari ait, conatum illum, quo se certatim cantores inter canendum, cum iubilo superare studebant, omnes sic ex animo canentes, vt de victoria viderentur certare. Rursus Psal. 5. titulus sic habet ex Hebræo, *Carmen Dauidis Lyricum, præfecto cantorum*, vbi Vatab. ad Hannehiloth; *Erat*, inquit, *insigne aliquod instrumentum musicum.* Commissus ergo fuit hic Psalmus præfecto Citharœdorum peritissimo, vt decantaretur ad Hannahiloth: sic etiam Lyranus. Titulus Psal. 6. est, *pro octaua*, Hebr. *Hal hasminuh*, id est, *intensissimo sono, & clarissima voce.* Nam octauus sonus multùm suprà alios assurgit, estque intentissimus, atque adeò traditus fuit hic Psalmus, insignissimo symphonia eorum præfecto, vt decantaretur ad neguinoth ad octochordium, hoc est, ad musicum instrumentum octo chordarum.

Instrumentũ musicũ apud Hebræos ad res lætas celebrandas. Vatab. Felix. Lyranus. R. Salomon. Psal. 5. Vatab. Lyranus. Psal. 6. Pro octaua id est Psalmus intensissima voce ad octochordium decantatus.

V. Quod attinet ad canticum Mosis, non constat, vsus ne ille fuerit musico aliquo instrumẽto in choro virorum, cui præerat: sanè Maria illius soror,

tympa

tympano vsa est; sic enim scriptum est ad finem huius cantici; *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: Egressaq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Crediderim, Mosen nullo fuisse vsum musico instrumento. Hilarius enim in prologo super Psalmos, de nomine & proprietate cantici loquens: Est, inquit, canticum, cùm canentium chorus, libertate sua vtens, neque in consonum organi obstrictus obsequium, hymno tantùm canoræ vocis exultat. Hæc ille. credibile autem est, à Mose hanc proprietatem fuisse obseruatam. Sunt autem (vt Bernardus in sententiis annotauit) canticorum genera quatuor, quibus vti fideles solent: vnum, victoriæ; quod, submerso Pharaone, cum Mose hîc cantarunt Hebræi: alterum, exhortationis: quod iidem terram promissionis cecinerunt intraturi: tertium, lætitiæ; quod de susceptione filij cãtauit Anna: quartum, fortitudinis; quod Dauid de manu Saulis ereptus, est modulatus.

Moses non est vsus musico instrumento.
Hilarius.
Bernardus.
Canticorum genera quatuor.

V I. Non est mihi incredibile, quamuis Moses nõ sit vsus instrumẽto inter canendum, cæteros deinde cantores, eo vsos fuisse: Moses enim prior quemlibet versum huius cantici præcinebat: deinde populus eundem versum repetebat; citharis fortè & organis vocem attemperans: qui mos solennis fuit Iudæis. Huc spectare videtur illud Psalmi 67. *Conuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Quæ verba enarrans Genebrardus, ait, [Conuenerunt cantores, & tibicines vtriusque sexus ad personandas Dei victorias, ita vt alij cantu præirent, & alij sequerentur. Moris enim erat vt etiam mulieres canerent Epinicia, tam voce quàm instrumentis musicis: & alludit hoc loco Dauid ad locum Exod. 15. vbi viri in vno choro cum Mose, & fœminæ in altero cum Maria, celebrabant victoriam de Pharaone partam.] Hæc ille. Apud Esdram quoque legimus cap. 2. lib. 1. inter Hebræos, qui de captiuitate Babylonica redierant in Iudæam, fuisse ducentos cantores, & cantatrices, ad itinerum videlicet leuandam molestiam, & reducum animos consolatione aliqua & voluptate permulcendos. Ad magnificentiam Regiæ dignitatis spectare putauit, Salomon, choros habere non solùm in templo ad diuinas laudes decantandas: sed etiam in aula Regia ad honestam & libero homine dignam voluptatem: *Feci* (inquit Ecclesiast. cap. 2.) *mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum.* Hæc de ordine canendi Epinicium à Mose compositum, & quodcunque aliud canticum, dixisse sit satis. Carmen ipsum iam aggrediamur.

Psal. 67.
Genebrard.
Mulieres voce, & musicis instrumentis Deum laudabant.
Exod. 15.
Esdr. lib. 1. cap. 2.
Ducenti cantores ad leuandas molestias Iudæorũ redeuntium à Babylone.
Eccl. 2.

CANTICI MOSIS SECTIO II.

Vers. I. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum, & ascensorem deiecit in mare.*

Pagn. *Cantabo Domino: quia magnificando magnificatus est: equum & ascensorem eius proiecit in mare.*

Vatab. *Cantabo Domino: quia magnificè magnificentiam suam exeruit: equum & currus eius sublatos in altum, deiecit in mare.*

70. Interpr. Nihil habent diuersum à vulgata translatione.

EXPLI

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. SEnſus eſt:beneficij accepti memores, carmen in laudem & gloriam benefici Numinis modulemur. Ea enim oculis ipſis in noſtram vtilitatem effecta vſurpauimus miracula,quæ illius & magnitudinem potentię,& gloriæ ſplendorem mirificè declarant. Equos namque hoſtium noſtrorum cum ipſis aſcenſoribus in mare deiectos fluctibus inuoluit.

II. Pro, *Domino*, eſt hîc nomen Dei tetragrammaton, cui Hebræi aſcribunt liberationem.Pro,*Cantemus Domino*,in Hebræo eſt,*Cantabo Domino*, ſolus enim Moſes canticum compoſuit; licet alij præeuntis vocem & modulos exceperint.Ita Vatab.& Caietanus,qui addit;dictum eſſe in ſingulari numero, *Cantabo*,ad ſignificandam populi vnitatem. Illud aduertendum eſt, omnia ferè verba huius cantici poni in futuro tempore:quod non rarò apud prophetas loco præteriti ſufficitur. Sunt qui exiſtiment, in Heroico hoc metro, & vim poëticam & maieſtatem gratiæ per Chriſtum futuræ, Numine aſpirante, ſignificatam fuiſſe: quoniam non minùs ad futurum quàm ad præteritum ſpectaret id quod canebatur. Refertur enim hymnus iam inde à principio ad Chriſti reſurrectionem,& victoriam qua in libertatem filiorum Dei, peccato & diabolo deuictis, vindicati ſumus. Hebraicè,*Azira lahoua chigao gaa*;hoc eſt,Cantabo Domino,quoniam magnificè, ſiue cum magnificatione, vel magnificando,magnificatus eſt:id eſt,qui magnum, & fortem & ſtrenuum ſe eſſe,ſignis declarauit.

Vatab. Caiet.

In Heroico metro huius cantici gratia per Chriſtum futura ſignificatur.

III. Pro,*glorioſè magnificatus eſt*, vertit Oleaſter, *quoniam eleuando eleuauit,&c.*Nam *Gaab* ſignificat eleuare ſe, aut eleuari quocunque modo, ſiue id fiat ſuperbiendo,ſiue honeſta voluptate mentem extollendo.Vnde Ezech.47. *Quoniam*(inquit)*Gau,id eſt,eleuauerunt ſe, ſiue intumuerunt, nempe aquæ.* Eſt autem iuxta hanc interpretationem metaphoricus ſermo, dum dicitur, *eleuando eleuauit ſe*:quaſi Deus, ad deiiciendos hoſtes, ſe humano more ſuper eos leuauerit,vt eſſet illis ſuperior.Vel;quoniam *eleuando eleuauit ſe*;hoc eſt, ſe eleuando miſericordiam tribuit:quaſi dicat,rem præclaram geſſit, quæ cauſa fuit vt eleuando eleuaretur à nobis. Vterque ſenſus quadrat in hunc locum. Chaldaica paraphraſis ſic habet:*Quia magnificatus eſt ſuper magnificos, & magnificentia illius eſt.*Alij vertunt,*Triumphando enim magnificè egit.*

Oleaſter. *Ezech.47.* *Deus dicitur eleuari quando edit miracula.* *Chald. paraph.*

IV. *Equum,& aſcenſorem*(adde,*eius*,ex Hebræo)*deiecit in mare*; vbi ſingulare ponitur pro plurali per ſynecdochen;vt paſſim fit: id eſt equites & ipſos equos. Continet hoc primum carmen totius cantici periocham.Cantus namque exhortationem continet,& cur canendum ſit,docet.Commendemus,inquit,nomen Dei,& extollamus carmine. Cur ita?quia glorioſè egit;quòd tam potenter equos, & equites Pharaonis, ſubmerſit fluctibus. At, quot equites? quinquaginta millia.pedites?ducenta millia: vt Ioſephus, quem hoc loco refert Abulenſis, autor eſt,lib.2. antiq. Hinc totum carmen iure optimo eſt Euchariſticon,vbi legimus, *deiecit in mare*, affirmant Hebræi verbum, *Ramah*,ſignificare, proiicere & fraudare. Oleaſter ait, verbo illo ſine controuerſia ſignificari, doloſè aliquid agere,ſcilicet mittendo ſagittas,aut deiiciendo. Dicitur autem Dominus hîc doloſè deieciſſe: quoniam latenter abſtulit rotas curruum: atque adeò quaſi per dolum impulit Aegyptios in deiectionem & lapſum.

Exercitus Pharaonis cõſtabat ex 250. millibus. *Ioſeph. Abulenſis.* *Oleaſter.*

lapſum. Accipitur ergo dolus, non vt malum ſonat, ſed vt ſit idem quod occultè, & ex arte aliquid agere:quo pacto interdum in iure accipitur.

Verſ. I. *Cantemus Domino : glorioſè enim magnificatus eſt.*

Conſuetudo Patrum & Sanctorum agendi gratias Numini pro beneficiis acceptis.

ANNOTATIO I.

I. CONſueuerunt Patriarchæ aliique viri ſanctitate clari, imò & populus Domini, quoties beneficium aliquod à Deo in ſe collatum agnoſcebant, carmen dictare Euchariſticum: quò non ſolùm beneficij memoria conſeruaretur; ſed omnium etiam circunſtantiarum, quæ illius nomen auguſtius reddere poterant, & diuinius. Hinc tot Dauidis Pſalmi occaſione beneficiorum quæ acceperat, compoſiti. Hinc canticum Annæ, matris Samuelis, pro impetrata prole. Deboræ, pro reportata de hoſtibus Hebræorum victoria. Iudith, pro interfecto Holopherne, & profligatis Aſſyriis. Extant & in Euangelio D.Lucę, tria cantica, que cœleſti dulcedine legentium animos imbuunt: Zachariæ, Sanctiſſimæ Virginis, & Simeonis.

Varia cantica in ſacra Scriptura. *1.Reg.2.* *Iudic.3.* *Iudith cap.16.* *Luc.cap.1. & 2.*

II. Eſt profectò quòd noſtram damnemus ſocordiam, quòd tam inſignia Dei beneficia in Chriſtianam rempublicam, & in nos ipſos quotidie collata, ſine vlla gratiarum actione abire ſinimus. *Cantemus* (inquit Moſes) *Domino:* Cantemus & nos, vocémque exhortantis accipiamus: Sed cantemus ſpiritu, cantemus & mente. Nam, & Apoſtolus 1.ad Cor.14.ait: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Spiritu cantare, vel pſallere, (vt interpretatur hîc Rupertus in expoſitione allegorica) eſt, rem geſtam memoriter tenere, eamque ſolam pro materia cantionis habere. Cantare autem & mente, vt idem ait, eſt, in exteriori facto, interiùs myſterium perſentire. Cantemus igitur Domino: Glorioſè enim magnificatus eſt. Glorioſa profectò magnificentia, etiam ſi ſolùm illud factum exteriùs attendas; ſi autem myſterium interiùs cogites, ibi glorioſior magnificentia perſpicitur. Hæc ferè ex Ruperto.

Deo agenda sũt gratiæ pro beneficiis. *1.Corinth.14.* *Quid ſit ſpiritu pſallere.* *Rupertus.*

III. Vberior erit ſeges, diuinas laudes decantandi, ſi id in quo peculiariter Deus in lege gratiæ magnificatus eſt, conſideremus. Audi Apoſtolum, ad Epheſ.2. ne redemptionis beneficio ingrati ſimus, fontes diuinæ charitatis nobis indicantem: *Propter nimiam*, inquit, *charitatem ſuam, qua dilexit nos, etiam cùm mortui eſſemus peccati, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati &c.* Olim benignitas Dei in homines, Iſaiæ 63. viſa eſt occultari. Hinc illa querela: *Vbi nunc eſt zelus tuus? multitudo viſcerum tuorum & miſericordiarum tuarum? ſuper me continuerunt ſe &c.* Tandem, in lege gratiæ, lucem ſuam extulit diuina miſericordia copulatione verbi diuini cum natura humana. Tûc enim, inquit, Apoſtolus ad Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ, que fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit &c.* Pater nanque, vt interpretantur Hieron. D.Thom. Primaſius, Theophylact. & Æcumenius, filium ſuum ſimilem nobis effecit, vt humanitatis velamine tecta diuinitas, genus humanum à peccati & diaboli iugo,

Deus peculiariter in lege gratiæ magnificatus eſt. *Epheſ.2.* *Iſa.63.* *Magnificentia Dei in copulatione naturæ humanæ cũ diuina.* *Tit.3.* *Hieronym.* *D.Thom.* *Primaſ.* *Theophyl.* *Æcum.*

Ægyptiorum tyrannide, qua Israëlitæ premebantur, longè grauiori, liberaret;nec id solùm,sed à periculis etiam animæ & corporis innumeris. Hæc recolens Zacharias, Ioannis Baptistæ pater, silentium diffidentia contractum, fidei & dilectionis vi incitatus, in has rupit voces: *Benedictus Dominus Deus Israël: quia visitauit &c.* (*Luc 1.*)

IV. Nos ante oculos habentes, & inter manus, vt dicitur, non, vt Hebræi, vnum transiti maris rubri miraculum, sed innumera Christi seruatoris mysteria: Nos, inquam, qui non, vt illi, Ægyptiorum diuites sumus spoliis, sed vberè Dei gratiæ in Sacramentorum thesauris, ad nostram vtilitatem, & vsum reposita; non iam, vt illi, beneficio numini gratias agentes, dicamus, *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est*; sed,si possumus, adhuc paulò maiora canamus. Arqui canere sublimiora, quis vetat? Adest nobis Maria,non illa prophetissa, soror Aaron,sed alia longè gloriosior,nempe Dei mater: quæ redemptionis humanæ mysteria,diuiniori impulsu afflata, cantico cecinit sublimiori. *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum,& exultauit spiritus meus in Deo salutari meo,&c.* Non captiui corporis,vt Maria soror Mosis, sed animæ à peccati iugo liberatæ, quæ multò est præstantior, redemptionem magni æstimans, nouum modulata est canticum: mirificos internæ lætitiæ foras promens significatus.

Vberior Christianis est materia canendi diuinas laudes quàm Iudæis. — *Exod. 15.*

Vers. I. *Cantemus Domino: &c.*

De miraculo, quod D. Augustinus credit accidisse in modulatione huius cantici.

ANNOTATIO II.

Augustinus. I. D. Augustinus lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. 21. rem prorsus stupendam diuinitus accidisse refert, quo tempore Moses & filij Israël, hoc cecinerunt canticum. Illius verba subiiciam: Considerantes, inquit, filij Israël validissimam potestatem, quam in illorum liberatione Dominus fecit, Mose præcinente, consono carmine canticum Domino vniuersi pariter decantabant. Vbi enormi sanè admiratione accidit dignum miraculum: vt cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates, eodem inspirati flamine, vno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti, easdem concinentes literas, decantarent in vnum. Et post pauca: Quod per verbum & studium ipsi facere potuerunt, consonum omnes carmen decantare, in vno momento, Dominus illis donauit. Et qui paulo antè, coram eis, in profundo apparuerat, ipse postmodum in tali cantu eorum linguas & ingenia gubernabat. Hæc August. existimans, cum *qui linguas infantium facit disertas*, & Apostolis tribuit varietatem idiomatum, ἐγκωμιαστικόν, hoc est, laudatorium carmen, non solùm Mosi, quamuis huic primùm: sed etiam omni populo diuinitus inspirasse. Vnde alacres, & læti omnes, dixerunt, *Cantemus Domino &c.* Glossa Interl. *Submersis,inquit, hostibus, hæc se mutuo exhortantes, dixerunt: Cantemus Domino: corde scilicet, ore, & opere.*

Deus instar bellatoris apparuit in mari rubro Israëlitis. — *Act. 2.* — *Gloss. interl.*

II. Afflati autem diuino spiritu eos qui cantica scripserunt in Dei laudem,

dem, omnes sacri interpretes consentiunt: & quidem in Zacharia Patre Baptistæ, vt vno exemplo id constet, hic diuinus spiritus, muto vocem restituit, atque admirabilis cantici, verba subministrauit. Augustinus lib. 3. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 1. existimat, Zachariam, quo illustrius extet miraculum, non scripsisse nomen filij, sed, dum scribere tentasset, verbo pronunciasse: *Ioannes est nomen eius*: Cùm tamen non sit negandum, eum scripsisse, siquidem Luc. 1. hæc leguntur verba: *Et postulans pugillarem, scripsit, Ioannes est nomen eius.* Sanè Augustinus (vt eum ab errore vendicemus) videtur significare, non scripsisse totum nomen Zachariam antequàm loqueretur; Sed, dum scriberet, apertũ fuisse ilicò os eius: & id, quod deerat Scripturæ, perfecisse. Ad quã interpretationẽ alludit Iuuencus Christianus Poëta his versibus:

Augustinus. Zacharias afflatus Spiritu sancto soluit silentium.

Luc. 1.

August.

Iuuencus.

Sed, proh mira fides! tabulis cùm scribere tentat,
Implicitam soluit per verba sonantia linguam.

III. Sed, quicquid sit de opinione Augustini (siue autor illius operis Augustinus sit, siue alius, vt multi volunt,) circa loquutionem Zachariæ scriptionémque nominis filij sui, certum est, illum insigni miraculo post longum silentium, loquutum fuisse, atque ea occasione canticum pronunciasse: in quo à laude Dei & gratiarum actione exorsus, de Christi Domini aduentu & mundi redemptione magnificam promit lætabundus prophetiam.

August. in lib. de mirabilibus sacræ scripturæ.

Vers. I. *Equum, & ascensorem deiecit in mare.*

Cur vituperetur in sacris literis fiducia in equis posita?

ANNOTATIO III.

I. ANnotandum primum est in illis verbis: *Equum & ascensorem deiecit in mare*, significari præcipuè Pharaonẽ superbissimum Ægyptij exercitus Regem: nisi malis, numero singulari, vt sæpe fit, intelligere omnem equitatum hostilem. Deinde indaganda est causa cur in sacra pagina, omnis fiducia, in equis, aut curruum præsidio, constituta reprehendatur. Ego eam esse suspicor, quòd pedestres copiæ, cùm faciliori negotio apparentur, non tanti fiunt: equestres verò, cùm difficilè inueniantur, & illustriorem reddant militiæ apparatum, humanæ gloriæ tumorem augent, & hominibus, humana tantùm, & quæ ante oculos sunt posita, cogitantibus, spem afferunt victoriæ. Atqui diuinæ literæ nos hortantur, non in humanis præsidiis, sed in diuinis opibus, vincendi fiduciam iis constituendam esse qui Deum colunt, & ad æternam felicitatem, luce fidei præeunte, anhelant. Huc pertinet illud Psalmi 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri innocabimus.* Moses etiam lege sanxit, ne Hebræi populi Rex futurus, equorum haberet multitudinem, sic enim ait Deuteronom. 17. *Cumq; fuerit constitutus Rex non multiplicabit sibi equos &c.* Quid quòd Isaiæ 31. queritur Deus de Iudæis, spem suam figentibus in equitatu Ægyptiorum: additque minas, querimoniæ: *Væ*, inquit, *qui descendunt in Ægyptum ad auxilium; in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israël; & Dominum non requisierunt.* Apud eundem

Cur fiducia in equis reprehendatur.

In diuinis opibus figenda est spes nostra.

Psalm. 19.

Deuter. 17.

Isaiæ 31.

Inter Hebræorũ flagitia numeratur possessio quadrigarũ & curruum.

dem prophetam cap. 2. inter alia flagitia Hebræorum, numeratur equorum multiplicatio, & quadrigarum multitudo: *Repleta est*, inquit, *terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.*[Vbi D. Basil.sic scribit in commentario: Nullo non Scripturæ loco obseruauimus sanctos viros deuitasse vsum equorum. Quia enim iubebat Deus vt toti penderent à suo præsidio, nec in medio conflictu consistentes, spem suam reponerent in suo militari apparatu: idcircò vetuit multiplicare sibi equos.]

D.Basil.

Basil. *Quæ ignaua sunt & vilia coram Deo, in Scriptura non numerantur.* *Basil.*

II. Illud præterea, ponderat Basil. quòd vocet Isaias *innumerabiles quadrigas*; aitque, Prophetam, veluti hyperbolica loquutione vsum, vt magnam intelligamus multitudinem. Vel, eam phrasim vsurpasse, quia in sacris literis, quæ ignaua & vilia sunt coram Deo, non veniunt in numerum. Sicut nec mulier, propter infirmitatem sexus: nec puerulus, propter contemptum ætatis (exceptis primogenitis & Leuiticis) nec seruus propter vilem, & abiectam conditionem. Hæc ille. Aliam rationem assignat ibidem D. Hieronymus: primùm enim affirmat queri Isaiam, quòd populus contra Dei præceptum, equos & quadrigas multiplicauerit. Deinde ait.[Dicit autem sine numero fuisse quadrigas, quia non est dignum numero quod contra Dei imperium possidetur. Vnde in Psal. *Fallax equus ad salutem*: & in Exodo: *Equum & ascensorem deiecit in mare*: & in alio Psalmo: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.*] Hæc Hieronym.

Hieronymus. *Non est dignũ numero quod cõtra Dei imperium possidetur.* *Psalm.32.* *Exod.15.* *Psalm.19.*

Origenes ho. 15. *Equus animal lasciui motus, & superba ceruicis.* *Equo significatur animi motus inordinatus.* *Psalm. 31.*

III. Origines Homil.15. in lib. Iosue, filios Israël nunquam equis fuisse vsos testatur: sed de asinis aliquid mandari lege, vtpote de animalibus, laboribus humanis, iuuandis, quàm aptissimis. Deinde subiungit: Equi magis proficiunt ad perditionem hominum, in præliis. Lasciui præterea motus, & superbæ ceruicis animal, equus est. Quapropter in Scriptura, per istud animal, inordinati affectus animi nostri, & ad flagitia præcipites, excusso rationis & Dei freno, designari solent. *Nolite* (inquit Regius vates) *fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus.*

Hieronym. *Psalm.75.*

Equi Dei & diaboli quomodo differãt. *Deut.17.* *Salomon ex Ægypto iussit ad se duci equos.* *4.Reg.6.* *Sancti Angeli, curribus & equis propugnãt Elisæum.* *Habacuc 3.*

IV. Autor commentariorum qui præferunt D. Hieronymi titulum, in illud Psalmi 75. *Ab increpatione tua Deus Iacob, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos*: Quæ verba, Hebraicè ita sonant, consopitus est & currus, & equus, ob tuam increpationem & minas, dum contra nos pugnabant, nempe Ægyptij. Autor, inquam, ille equos Dei & diaboli cogitat: illos, vtiles ad salutem: hos, aptos ad perditionem. Ad equos diaboli spectat, quòd Pharao ascendit equos, & dormitauit, & periit: Ægyptij etiam habebant equos; & perierunt. In lege præceptum erat ne Hebræi equos haberent. Et quidem Salomon non habebat equum de Hierusalem, nec de Iudæa, sed emebat aliquando de Ægypto. Semper in Ægypto venduntur equi. Ad equos Domini refertur historia 4. Reg.6. Ex qua didicimus, quo tempore venerunt hostes ad prehendendum Elisæum, exiisse puerum eius: cui trepidanti, quia videbat exercitum in prophetam instructum, dixit Elisæus: *Noli timere, quia plures nobiscum sunt quàm cum illis.* Mox, exorato Domino, vt aperiret oculos pueri: vidit puer currus multos, & equos. Nimirum illi currus & equi, erant sancti Angeli, & eorum ascensor, erat Deus. vnde Habacuc 3. dicitur: Et quadrigæ tuæ saluatio; vel, Et equitatio tua salus, vt ille autor legit. Contrarij autem equi sunt diaboli, quibus nimirum ille rector & ascensor adest. De his

dicitur

dicitur, dormitauerunt, qui aſcenderunt equos; hoc eſt oppreſſi ſunt ſomno mortis. Ex dictis conſtat cur in ſacris literis damnetur equorum vſus: itémque quales equos myſticè approbent Scripturæ. Vtinam Dei equi mereamur eſſe. Illo enim ſeſſore, & ductore, facilè erit aduerſariorũ currus, & equos deteſtabiles, vnà cum aſcenſoribus profligare. *Felicitas eſt Deum habere ſeſſorem.*

Verſ. I. *Equum, & aſcenſorem deiecit in mare.*

Expoſitio Allegorica horum verborum ex Ruperto, & Philone.

ANNOTATIO IV.

I. ADeò Deus populo Iſraëlitico interdixit vſum equorum & curruum, ne fiduciam in iis præſidiis ponerent: vt Ioſue cap. 11. præceperit, hoſtium, quos bello cepiſſet, equos ſubneruare, & currus incẽdere: *Equos*, inquit, *eorum ſubneruabis, & currus igne comburet.* Vbi verbum Hebraicum, pro quo vulgata editio legit, *ſubneruabis*, idem ſonat atque fundamentum ac radicem auferto. Nam, vt bene ait R. Chimhi, & nos eo loco annotauimus, equorum pedes ſunt ipſorum fulcimenta: quorum ſi neruos incideris; nullus deinde fuerit illorum vſus. Eſt ergo, vt rectè Maſius annotauit, ac ſi iubeat, equos prorſus perdere. videlicet, nolebat Deus, vt ſui, equis aut curribus ab hoſtibus captis in bello, aliquando vterentur. Illiuſmodi namque adminicula opinionem diuinæ opis facilè minuere potuiſſent; cui vni fidere planè oportebat, vt dudum diximus. Sed, allegoriam iam noſtri hemiſtichij; (oportet enim à litera ad ſpiritum interdum cum patribus aſſurgere) expendamus. *Ioſ. 11.* *R. Chimhi.* *Cur equi ſubneruari iubentur Ioſue.* *Maſius.*

II. Philo Iud. in lib. de Agricultura, ad mores accommodat hunc verſiculum, *Equum & aſcenſorem deiecit in mare.* [Equi, inquit, ſunt, furor & concupiſcentia: ille, mas: hæc, fœmina. ille, vt mas, geſtit elata ceruice libertatem appetens: hæc verò ſeruilior & callidior domum depaſcit, & deuorat, vt fœmina; inſeſſor porrò & auriga, vnus eſt, nempe intellectus: ſed auriga tunc, quando aſcendit cum prudentia: quando autem cum imprudentia, inſeſſor tantùm eſt, & præ imperitia impotens retinendi habenas, ſinit eas è manibus elabi. At iumenta habenis liberata, temerè diſcurſant, nullo ordine; ſeſſor autem, præ imbecillitate ſuſtinere ſe non valens, decidit, & malè mulctatus, deflet ſuum infortunium. Iumenta quoque omni ſoluta retinaculo concitantur, & efferantur: atque ita currus animæ, cum rectore totus perit.] Deinde hortatur nos Philo vt contra hos equos, de quibus dicere poſſis: *Philo Iud.* *Equi ſunt furor & concupiſcentia.* *Currus animæ cum rectore totus perit, furore & concupiſcentia veluti equis rationem turbantibus.*

Bello armantur equi; bellum hæc armenta minantur: *Virg. Æn. 3.*

contra hos currus & inceſſores feramur prudentia duce. Furorem enim & concupiſcentiam & affectiones, quæ his inſident, tanquam equis, etiamſi fretæ videantur inexpugnabili robore: contemni tamen oportet ab iis qui proteguntur magni Regis potentia, pro ipſis decertante. Hinc Moſes Deut. 20. *Si egreſſus*, inquit, *fueris in bellum contra inimicos tuos, & videris equum & inſeſſores, & maiorem multitudinem hoſtium, noli timere, quia Dominus Deus tecum eſt.* Hæc ferè ex Philone. *Deut. 20.*

Exercitus Dei sunt virtutes animæ propugnatrices. III. Idem paulo infrà, [Exercitus, inquit, Dei, virtutes sunt propugnatrices piarum animarum; quas, vbi deuinctum hostem viderint, conuenit pulcherrimum hymnum canere datori victoriæ Deo, ita vt duo chori, alter è virili, alter è muliebri conclaui, è diuerso stãtes, alternis sibi carminibus respondeant. Ductabat autem virorum chorum Moses; intellectus perfectus: mulierum verò, Maria; sensus purificatus:] & post pauca: [Illud certè littorale carmen canunt omnes viri: non tamen mente cæca, sed acutè cernente Mose illorum præcentore, canunt & mulieres, ad veritatem lectissimæ, virtutum ciuitati adscriptæ, Maria carmen præeunte. Hymnus autem idem à choris ambobus canitur, Epodon mirabilem habens, quem decantari pulchrum est. Sic autem se habet, *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum, &c.* Meliorem profectò victoriam inuenire non licet, quàm qua vincitur petulantium quadrupedum agmen validum, hoc est, affectuum.] Hæc ex Philone: à quo, censoria virga vsus, discedit vir doctissimus nostræ societatis, Benedictus Pererius disp. 2. in cap. 15. Exodi; dum ait: Legislatorem, cùm interdixit Regi populi Hebræi multitudinem equorum, locutum fuisse non historicè de veris equis, sed mysticè & figuratè, de vitiosis animi affectibus, & cupiditatibus coërcendis. Id enim, non obscurè sacris literis repugnat, omnibúsque illarum interpretibus.

Victoria nulla illustrior quã qua vincitur petulantia affectuum. Bened. Perer. disp. 2. Exod. 15. Refellitur Philo.

Rupert. IV. Rupertus, enarrans allegoriam eorundem verborum, ait, hunc mundum, per *equum*: diabolum verò, per *ascensorem* significari. Tunc autem Christus proiecit equum & ascensorem, cùm dixit Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Sed quando eiicietur? *Accepit cornua crucis in manibus, & ibi abscondita est fortitudo eius,* Habacuc 3. *vt obreperet ei ausa mors, deinceps victa iret ante faciem eius; & egrederetur diabolus ante pedes eius.* Tunc proiecit, & proiicit hodie illum ascensorem in mare, nobis quidem vitreum & Spiritus sancti igne accensum: illi autem piceum, & sulphureo igne turbidum. Olim quidem, hunc ascensorem superbè dicentem, *super astra cœli exaltabo solium meum*, detraxit, & proiecit in hunc aërem caliginosum. Nunc autem istum ipsum ascendentem super effrenatam stultitiam superbientium, quos deceperat, deiecit in barathrum ardentis inferni. In die iudicij, cunctis videntibus, Tyrannus hic præcipitabitur. Cantemus ergo Christo canticum, imitantes Mosen præcentorem: à quo accepta commonitione chorus vniuersus intonat, *Cantemus Domino, &c.* Vocat autem Rupertus carmen hoc delectabile & gloriosum; quia & canentem delectat modulo, & victorem Christum, gloria extollit immortali.

Ioan. 12. Mundus per equum, per ascensorem diabolus. Habacuc 3. Isaia 14. Christus deijciet in fine mundi diabolum insidentem mundo, in barathrũ. Rupert.

Vers. I. *Equum & ascensorem deiecit in mare.*

Quid significet transitus filiorum Israël per mare rubrum, & equitatus Pharaonis submersio?

ANNOTATIO V.

I. Constans est Patrum sententia, Hebræorum liberationem è seruitute Ægyptiorum durissima, & transitum per mare rubrum, fuisse illa-

ſtrem figuram liberationis popul. Chriſtiani de poteſtate diaboli, per Chriſti ſanguinem,& lauacrum regenerationis. Introductio etiam Hebræorum in terram promiſſam, typo admirabili illam aditionem ſignificat, qua meritis Chriſti innixi,confidimus; poſſe nos cœleſti & æterna felicitate potiri; vnde auſcultare poſſumus, & meditari canticum hoc, tanquam exultantis Eccleſiæ vocem,ob ſpem quam firmiſſimam habet, per Chriſti merita inducendi filios ſuos in optatam hæreditatem. Hanc allegoriam aptè Apoſtolus 1.Cor.10. Eccleſiæ filiis,à Chriſto liberatis,accommodat: *Nolo*,inquit, *vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt: & omnes in Moſe baptizati ſunt,& in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt;& omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus, &c.* Quibus verbis Paulus admonet Corinthios,ne de donis à Deo perceptis, inſolenter efferantur; ſicut Iudæi, poſt tranſitum maris rubri,& cædem Pharaonis, diuino beneficio ingrati; ob peccata ſua,pœna multiplici à Deo fuere mulctati. Quemadmodum namque illi excuſſa Pharaonis ſeruitute,& mari tranſmiſſo, in mari & nube quodammodo baptizati ſunt; abluti ab incredulitate. (Vt enim dicitur ad finem capitis 14. Exod. *Viſo miraculo crediderunt Moſi, & Domino*: quod annotarunt Caietanus,& Maſius:) ſic nos excuſſo veteri Pharaonis iugo, & lauacro regenerationis immerſi, à flagitiis abluti ſumus. Quod illis, nubes protegens & refrigerans in itinere fatigatos;hoc nobis,Spiritus ſanctus, dux & moderator actionum noſtrarum. Quod illis,mare:hoc Corinthiis, & Chriſtianis omnibus,aqua baptiſmatis. Corinthij Chriſti carnem manducabant: illi figuram eius manna;quod propter myſterij futuri ſignificationem, ſpiritualis vocatur eſca: Corinthij ſanguinem Domini bibebant:Iudæi ſpiritualem potum,quem, diuino beneficio petra ſuppeditabat,guſtarunt. Nec tamen tot cœleſtibus cumulati donis, ob ſcelera innumera, turpiter & fœdè patrata, in terram promiſſam,ſi duos excipias,peruenerunt:ſed in vaſta ſolitudine proſtrati ſunt, ac veluti pecora inertia,defuncti vita. In hoc quoque,à numine irato, impietati illato ſupplicio,typicè ſignificantes, fore, vt qui Chriſti beneficiis grati non fuerint, in vitæ huius miſera ſolitudine pereant, ſine ſpe terram beatam, & Chriſtianis promiſſam, potiundi. Cantemus ergo, ne ingrati videamur diuinis beneficiis:cantemus,inquam,Chriſti fide colluſtrati, & charitate accenſi, canticum Domino:& ab offenſione numinis abſtinentes, quod Iudæi non fecerunt (vix enim è mari egreſſi, iniurij Deo, & Moſi turpi admurmuratione, eſſe cœperunt) ad veram & planè cœleſtem promiſſionis patriam, noctes dieſque aſpiremus.

Canticum hoc meditari debemus,tanquam exultantis Eccleſia vocem.

1. Cor. 10. Allegoria tranſitus maris rubri.

Ingratitudo Iudæorum vitanda.

Exod. 14. Caietanus. Maſius.

Spiritus ſanctus in nube ſignificatur.

Figura Euchariſtia.

Qui Chriſti beneficijs ingrati ſunt, peribunt in ſolitudine huius vita, ante ingreſſum terra promiſſionis.

II. De huius facti glorioſi myſterio (inquit Rupert.) ſilere non debemus, habentes tale canticum Moſis: *quia hæc eſt ſapientia,quæ aperuit os muti, & linguas infantium fecit diſertas, vt victricem manum tuam laudemus pariter Domine Deus noſter.* Deinde hortatur nos idem Rupertus, ne ceſſemus à cantici huius repetitione,ob gratiam,quam ſumus adepti à Chriſto, adducit illud Apoc.15. *Et vidi tanquam mare vitreum,mixtum igni, & eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem illius, & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum, habentes citharas Dei,& cantantes canticum Moſis ſerui Dei,& canticum agni,dicentes; Magna, & mirabilia opera tua Domine Deus noſter omnipotens, &c.* Interpretatur namque

Rupert. Sap. 10.

Apoc. 15. Sancti in cælo grati Chriſto oſtenduntur.

mare

Mare vitreũ baptiſmus eſt. *1.Cor.4.* *Ignis viuificans, eſt gratia Spiritus ſancti.*

mare vitreum eſſe baptiſmum, in quo ſordes peccatorum abſterſimus, gratiam adepti, quam tanquam *theſaurum portamus in vaſis fictilibus.* Ignem habet hoc mare, id eſt, viuificationem Spiritus ſancti admiſtam, quæ Exod. 14. ſignificatur per ventum vrentem, & flantem tota nocte, à Deo immiſſum. Habentes ergo citharas Dei, hoc eſt mortificationem carnis, quam Deus præcepit, cantemus canticum Moſis & Agni, vtrobique exultantes, & pro beneficio collato Iudęis per manũ Moſis: & pro myſterio Agni immaculati, quod Moſes prophetice figurari intellexit.

Canticum Agni quale? *Geneſ.15.* *Apoc.15.*

III. Canticum Agni refert D. Ioan. *Magna, inquit, & mirabilia ſunt opera tua Domine Omnipotens, &c.* Hoc canticũ, quod homines in lege gratię à Chriſto didicerunt; quoniam nõ tam notum erat, atque illud Moſaicũ, quod Geneſis 15. capite ſcriptum eſt, & vetus dicitur: iure optimo B. Ioannes ſuarum reuelationum cap. 15. ſcribit: idque nouum appellat, quoniam ad legem ſpectat gratiæ. Quoniam verò & veteris & nouæ Eccleſiæ ſancti, in vnam coëunt ſocietatem: vtrique Chriſti merito, & nouum & vetus modulantur canticum.

Carmẽ Chriſto victori in nouo teſtamẽto cantatum.

Nouum ſic habet: *Veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es. Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo: quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.* Nos igitur ſanctorum vtriuſque teſtamenti choro adſociati, antiqui & noui memores beneficij, Agno cœleſti, pro victoria, quam diaboli tyrannide in mari huius vitæ triumphata reportauit, vtrumque canticum læti modulemur.

Verſ. I. *Equum, & aſcenſorem deiecit in mare.*

Non eſſe figendam in equis, aut humanis viribus, ſpem victoriæ, ſubmerſio Pharaonis declarat.

ANNOTATIO VI.

Superbia & libido interdicto equorum vſu, damnantur. *Equorum ceruix indicat ſuperbiam.* *Origenes.* *Pſalm. 32.*

I. Repetita toties in ſacris literis equorum & quadrigarum, in quibus homines ſpem vincendi in bello, ſitam habent, vituperatio: ſatis oſtendit, vt ſuprà annotauimus, velle Deum, vt auocato animo ab humanis præſidiis, ab eo, ſiue res proſperæ ſiue aduerſæ accidant, dependeamus: ſimul etiam mihi videtur Deus, interdicto populo ſuo equorum vſu, duo vitia damnaſſe, quæ humano generi eò pernicioſiora ſunt quò magis innata: ſuperbiam videlicet, & libidinem. Sunt enim equi ad libidinem proniores quàm aliæ beſtiæ; & ad ſuperbiam tumido inſeſſu, & erecta ceruice, quaſi nati, vt aduertit Origenes hom. 15. in lib. Ioſue.

II. Extat locus valde celebris Pſalm. 32. quo exprimitur à Regio vate, falli eum qui aut in equis, aut in aliis mundi opibus confidit: ſimulque declaratur pręſentia Numinis in iuuandis iuſtis, quantumcunque res cadant aduerſæ. Sic enim habet: *Non ſaluatur Rex per multam virtutem: & Gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur, &c.* Expendenda ſunt ſingula verba. Nam primum verbũ; hoc eſt, *ſaluare*, ſignificat in ſacris literis periculum euadere, mortis ſcilicet, aut ſimile. Sic Geneſ. 7. iubet Deus arcam fabricare *Vt ſaluetur*, inquit, *ſemen ſuper faciem*

Saluare in ſacris literis quid ſit? *Gen.7.*

faciem vniuersæ terræ. & in eodem lib. suadent Angeli Loth, vt celeriter à Sodoma exeat: *Salua, inquiunt, animam tuam; noli respicere post tergum.* Et 1.Reg.9. quando intorquente hastam Saule Dauid celeritate pedum effugit mortem; ait sacer historicus: *Dauid fugit, & saluatus est.* Enecta quoque fame mulier 4.Reg.6. Regem adiit, dicens: *Salua me Domine mi Rex:* hoc est, præbe cibos famescenti. Cui Rex: *Vnde ego te possum saluare? de area, an de torculari?* Quasi dicat, nec horrea habeo, nec dolia. Sunt etiam in nouo Testamento exempla, vt Matth.8. *Domine salua nos: perimus;* & Ioan.11. *Si dormit, saluus erit:* vbi de Lazaro agitur. Virtutis vocabulum, iuxta Genebr. primo loco positum, exercitum significat: in secundo, potentiam & fortitudinem. Cæterùm communior vsus obtinuit vt significet, & fortitudinem; & virtutem sanandi morbos. Primum ostenditur Deut.4. *Eduxit te, præcedens in virtute sua magna, ex Ægypto:* & Psalm.17. *Præcinxisti me virtute ad bellum;* & Psalm.28. *Vox Domini in virtute:* & Psalm. 70. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Secundum confirmatur Luc.6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* & cap.8. Mulieri quæ tactu fimbriæ vestimenti sanata est, dictum est à Christo: *Ego noui virtutem de me exiisse.*

1.Reg.9. 4.Reg.6. Matth.8. Ioan.11. *Virtutis vocabulũ exercitum aliquãdo & fortitudinẽ significat. Virtus ad sanãdos morbos.* Deut.4. Psalm.17. Psal.28. Psalm.70. Luc.6. & 8.

III. Subiungit Psalmographus: *Et gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ:* ac si dicat: Regem nec exercitus, nec vires vllæ, nec medicinæ simplices, aut compositæ, siue illæ sint aurum potabile, siue quinta essentia, vt vocant, à primariis medicis ministrata, eripient à mortis, aut hostium periculo. Vitæ nanque Deus licèt remediis illis exquisitis prorogari posse videatur, *constituit terminos, qui præteriri non poterunt.* Nec verò gigas in stupenda fortitudine membrorum, vitam sibi polliceri potest diuturnam, & à periculis liberam. Irridet gigantes suis viribus præsidentes, symbolicus concionator: *Non exorauerunt, inquit, pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt, confidentes suæ virtuti.*

Psalm.32. *Aurum potabile medicinam, sine Dei ope afferre nõ potest.* Iob 14. Eccles.16.

IV. Atqui, si neque potentia, neque robur eximere nos potest à morte vitæque periculis: effugere ne pedibus, an equo poteremus? *Fallax, inquit, equus ad salutem.* Hebraicè: *Non saluabit sessorem suum.* D. August. super Psal.32. sermon 2. *Quid est, inquit, mendax equus ad salutem?* mentitur tibi equus, quando promittit salutem. Hæc ille: & meritò: equus nanque, licèt videatur tibi celeritate pollere, & in periculo posse te iuuare, fallit spem tuam. Idcircò addit August. Ista omnia velut promittunt tibi de illo, salutem, sed fallunt: si Deus non tuetur: quasi dicat, fortitudo, potentia, celeritas, pollicentur quidem salutem: sed eam, nisi Deus adsit, donare nequeunt. Equum etiam accipe figuratè, quamlibet amplitudinem seculi huius; quemlibet honorem, in quem superbia inflatus ascendit: quò altiùs ingredieris, eò te non tantùm celsiorem, sed etiam tutiorem falsò putas &c. Cùm ergo omnia humana tibi mentiantur, quid speras? Ad Deum profectò erigendi sunt oculi intentionis & spei nostræ: Quia, vt vates vtriusque fortunæ varietatem expertus, ait: *Ecce oculi Domini super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum.* Quare in Deo sita sit spes salutis nostræ, qui solus potest nos à malis liberare, à quibus nec Rex, nec gigas, nec equus, nec mundi opes, quamlibet magnæ sint, & plurimæ, possunt nos eripere. Quod haud dubiis argumentis experti sunt Israëlitæ, cùm Pharaonem, equis & quadrigis super-

August. Psalm.32. *Mentitur equus quando tibi promittit salutem.* August. *Equum significat quamuis seculi amplitudinem.* Psalm 32.

 bum,

Horatius lib. 3. carm. ode 1. bum, subitò Dei virtute haustum à fluctibus viderunt. Rectè à Lyrico poëta dictum est, solius Dei potentiam, omnibus esse formidabilem:

Regum timendorum in proprios greges:
Reges in ipsos imperium est Iouis;
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilia mouentis.

Vers. I. *Equum & ascensorem deiecit in mare.*

Quàm fragiles sint Regum vires, eorum mors, & sepulchra declarant.

ANNOTATIO VII.

I. Rectè dictum est à sanctissimo iuxtà, & rerum humanarum scientissimo Dauide, *Non saluatur Rex per multam virtutem*: Et à Mose, secundis rebus læto, cantatur, *Equum, & ascensorem equi regem, deiectum fuisse in mare.* Omnis nanque regum potentia, & opum ostentatio, in nihilum soluitur. Quod prudenter considerauit D. August. & serm. 48. scriptum reliquit. Dum enim Romæ columnas, sepulchra, & principum antiqua monumenta perlustraret; intuitus inter alias res maximè visendas Cæsaris tumulum, philosophicè exclamauit, *Vbinam est Cæsaris corpus præclarum? vbi magnitudo diuitiarum? vbi caterua baronum? vbi acies militum? vbi canes venatici? vbi equi veloces? vbi aues cantillantes? vbi thalamus pictus? vbi lectus eburneus? vbi thronus regalis? vbi mutatoria vestimentorum? vbi capilli solares? vbi facies decora? vbi omnia quæ sub cælo sunt? &c.* His omnibus Augustini emphaticis interrogationibus, Monica illius mater breuiter, & cum emphasi respondit, vt idem Augustinus refert, sic enim ait mater, pietate plena: *Omnia*, inquit, *illi pariter defecerunt, quando defecit spiritus eius:* O prudens æquè atque vera fœminæ responsio. Allequuntur, mortis gladio iugulata, finem imperia: aurum, famulitium, opes, medicinæ, quid non? Ferrum ipsum, struthionis instar, mors violenta absumit. Non saluatur igitur Rex per multam virtutem.

Psalm. 32.

August.

Meditatio status principis vita functi.

B. Monica responsio prudēs.

II. Potuit cum emphasi, Augustino, Cæsaris tumulum admiranti, respondere philosophus ille, qui, vt est in Apologo, quando variis disceptatum est opinionibus, de interpretatione inscriptionis, in basi prodigiosæ statuæ, repertæ, rem ipsam attigit, vmbram vocans mundi thesauros. Inscriptio sic habebat: *Quando ad Kalendas Aprilis, sol feriens meum caput circunradiauerit, aureum habebo caput.* Videre erat hominum, quos studium nouitatis excitauerat, ad Kalendas Aprilis, ad locum statuæ concursus. Fefellit miseros inanis spes quorundam, qui aurum inuentum iri prædixerant. Aliorum magis ridendus fuit conatus, qui ligonibus statuæ caput attundentes, latere intus cerebrum aureum crediderunt. Huc consultò accesserunt duo philosophi: factis clarus erat vnus; alter dictis; distuleruntque expectationem in annum sequentem. Ecce tibi in ipsis anni expectati Kalendis Aprilis obseruato momento, quo solis radij, caput statuæ attigerunt, vmbra capitis supra lapidem apparet. ligonem Philosophus vnus accepit in manus, eoqui ad remouendum lapidem

Apologus philosophicus.

Mūdi thesauri sūt, vmbra.

In orat. funebri Philipp. 2. à Ferdinando de S. Iacobo habita.

dem admoto, ingentem reperit thesaurum. Deinde socio ait, viden? O diuitiæ! Ecquis alius locus vobis aptus magis esse potuit? Decenter vos vmbra & lapis regit. Emphaticoteros loqueretur, si, fidei luce præeunte, audisset, illas impiorum serò apud inferos & inutiliter insonantes querimonias: *Quid profuit nobis superbia? & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa velut vmbra.* An non vides vocari mortem corporis, quam omnes Adami nepotes experiũtur, vmbram? vmbra profectò est, quam peccatum intulit. Ingemit sub hac vmbra propheta, Psal.43. *Cooperuit nos vmbra mortis.* Et Greg. Magnus lib.4.Moral.tom.1.enarrans illud Iob 3. *Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis,* sic ait: *In sacra Scriptura, mors carnis, dicitur vmbra mortis, quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo: ita est vmbra mortis qua anima separatur à corpore.* Et lib.12.Moral.10.super illud: *Qui producit in lucem vmbram mortis,* ait: *Ista mors, in qua caro separatur ab anima, vmbra illius mortis est, in qua anima separatur à Deo &c.* Putat D.Gregor. rem ipsam prudenter considerans, non esse deflendam corporis mortem: sed animæ à Deo separationem: exemplo regij vatis, qui mortem filij, quam deberi naturæ agnoscebat, lacrymis non est prosecutus.

Omnis mundi fastus in nihilum recidit. Sap 5. Mors vmbra peccati. Psalm.43. Gregor.P.P. Iob 2. 2.Reg.12.

III. D.Hieronymus in epist.25. ad Paulam, de obitu Blesillæ filiæ, non decere, ait, Christianos plorare in obitu demortuorum, sicut plorant Iudæi, qui Messiam nondum venisse dicunt. Illi enim multa in exequiis defunctorum extremæ tristitiæ signa edunt: quorum vnum est vesci lentibus, quæ tristitiam generant. Ac ne quid desit superstitioni, ex ritu, inquit, vanissimo Pharisæorum, primum cibum lentis accipiunt. Mirum est quòd hæc egerint Iudæi à Iacobo progeniti: Idumæos hoc facere, qui ab Esau descendunt, non mirarer. Is enim appetens edulium lenticularum, permutauit ius primogenituræ cum Iacob: Genes.25. Veniens nanque à venatione fatigatus, *En morior,* inquit, *Quid mihi proderunt primogenita?* pepigitque fœdus cum fratre de venditione; parui pendens quòd primogenita perdidisset: Quasi dixerit: Si fame pereo, quid primogenitura prodest? Ad memoriam huius facti conseruandam (inquit D.Hieronymus) *Esitabant Iudæi in funere propinquorum, lentes, vt ostenderent quali edulio primogenita perdiderunt.* Idem considerat, in hoc facto Esau, vendentis, propter famem, primogenita, negligi omnia ab iis qui de morte cogitant. Facilè, inquit, contemnit omnia qui se cogitat moriturum. Non sunt ergo Regum opes, aut aliæ humanæ vires magnifaciendæ, quippe quas facilè mors falce sua demetit, & quilibet disturbat aduersus casus. In Dei virtute spes nostra defigenda est, quæ ereptis à periculo suis; equum & ascensorem deiecit in mare. *Fortitudo mea & laus mea Dominus,* inquit Moses, diuina virtute à morte ereptus, *& factus est mihi in salutem: Iste Deus meus &c.*

Hieronym. Non decet Christianos plorare sicut Iudæi plorant in defunctorũ morte. Iudæi vescuntur lẽtibus in funeribus suorum. Genes.25. Hieronym. Facilè cõtemnit omnia, qui se cogitat moriturum.

CANTICI MOSIS SECTIO III.

II. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.*

Pag. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & fuit mihi in salutem. Iste*

Deus meus & tabernaculum faciam ei. Iste Deus patris mei & exaltabo eum.

Vatab. *Dominus est robur, & carmen meum, qui fuit seruator meus: iste est Deus meus; hunc decorabo; Deus patris mei, hunc extollam.*

70. Interp. *Auxiliator, & protector factus est mihi in salutem, &c.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. PAraphrasis. Consideratis omnibus translationibus, sensus est: Arma, & equi, virtuti diuinæ comparati, nihil sunt. Resistere numini nullæ vires possunt, seruire possunt. Quare non ego glorior de aliqua virtute mea: non meis viribus fractus est aut expugnatus hostilis exercitus. nullam in hac victoria mihi laudis partem attribuo. Dominus ipse est virtus mea, & laudatio: ipse mea salus est, qui effecit, ne meis in tanto discrimine succumberem viribus. Hunc glorificabo, & adorabo: illis diis reiectis quibus ob mentitam diuinitatem, cultum Ægyptus & aras donat.

Chal. Paraphr.

II. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus &c.* Chaldæis Paraphrastes ita vertit: *Fortitudo mea, & canticum meum Dominus terribilis; dixit in verbo suo, & fuit mihi in redemptorem.* Hebræa litera sic habet; *Fortitudo mea, & cantus Iah.* Hic primùm ponitur nomen Dei nouum, *Iah*, quo, vt Oleaster, & Caietanus annotarunt, hactenus Moses vsus non fuerat. Aiunt tamen Hebræi non esse nomen aliud à יהוה, sed prorsus idem per syncopen contractum ex prima & vltima syllaba nominis quadriliteri יהוה, ac proinde, eo significari Dei essentiam. Petrus Gallatinus lib. 2. cap. 18. asserit veteres Hebræos ex nomine Dei ineffabili, יהוה, tria conflasse nomina; scilicet *Iah, Hu, Vehu*, quorum primum, ex prima & secunda litera constat nominis יהוה: secundum verò, ex secunda, & tertia: tertium, ex tertia & quarta. Et verò *Iah* nomen est, quod ponitur in fine *halelu iah*: quæ dictio significat, laudare Deum. Vnde D. Hieron. in epist. ad Marcellam octauum, inquit, nomen est יה, *iah*, quod in Deo tantùm ponitur: & in *halelu iah*, extrema quoque syllaba sonat.

Iah Dei nomen. Oleaster. Caietanus. Iah significat Dei essentiam. Petrus Gallat.

Halelu iah, id est laudate Deum. Hieronym.

III. *Et laus mea &c.* Verbum, *zamar*, à quo *zimrat*, id est, *laus*, significat Hebræis, *psallere*, & *putare*, siue, *scindere*. Secundæ significationis (nam prima notior est quàm vt debeat indicari) exemplum est Leuit. 25. *Sex annis, tizmor*, id est, *putabis*, *vineam tuam*: sed doctiores affirmant significare, *cum fragore vocis cantare.* Vnde *zamrath*, significat sonum cum stridore editum: Aamos 5. *Zimrat*, id est, *canticum seu sonitum nabliorum tuorum non audiam.* Constat autem, sonum nabliorum cum stridore fieri, & ex consequenti scindere, & quodammodo putare moram cantus. Vnde verbum, *zamar*, erit, *cantare scissa voce*: sensus ergò est, iuxta Vatablum. Deus est, cuius auxilio hostibus superior fui: & qui mihi propterea canticis celebrandus est.

Leuit. 25.

Aamos. Nabliorũ sonus stridet.

Vatab.

IV. *Et factus est mihi in salutem, &c.* Hoc est, fuit mihi in salutem: id est saluum me fecit: vel, vt legit Oleaster, *saluauit me ab inimicis meis*: vel, *tulit mihi opem, & liberauit me.* Chald. *Factus est mihi in redemptorem.*

Oleaster. Chald. Paraphr.

V. *Iste Deus meus, &c.* Hebraicè, *iste El meus. El*, nomen Dei est, sumptum à fortitudine. Pronomen, *iste*, demonstrat Iehoua seu *Iah*, qui fuit ei in salutem.

Sunt

Sunt autem verba affirmantis, vt inquit Caietanus, & agnoscentis ipsum, *El*, in Deum fortem ipsi populo. De hac voce ita Hieronymus ad Marcellam, *Primum*, inquit, *Dei nomen est, El; quod 70. Interp. Θεὸν, id est Deum; Aquila, etymologiam eius exprimens, ἰσχυρὸν, id est, fortem, interpretatur. Quartum etiam nomen est Elohe, quod & ipsum Deus dicitur.* — *Caietanus. El, primum Dei nomen. Hieronym. 70. Interpr. Elohe.*

VI. *Et glorificabo eum, &c.* Hebraicè ex Vatablo. Propterea extruam illi tabernaculum, verbum enim *nauah*, id est, *tabernaculum faciam*, incertæ significationis est apud Hebræos. Vnde aliqui hîc vertunt, *decorabo eum*. Qui coniecturas sequuntur, dicunt significare, tabernaculum facere, quale est tugurium pastoritium: aut, si Latinitas pateretur, tabernaculare. Significat etiam *naueh*, præter tugurium pastorum, caulam ouium, vel pecudum. Quare videtur populus significare in votis sibi esse tabernaculum extruere, quo protegatur, ad modum tugurij pastorum. Videbat enim populus, vt annotauit Oleaster, Dominum in columna illa nubis habitare: & indignum sibi videbatur, ei qui tot beneficia contulerat, non ædificare aliquam ædem, aut habitaculum; sicut postea *Dauid indignum est visum, vt ipse habitaret in domo cedrina, arca verò Dei sub pellibus*. Fortè literæ magis consentaneus erit sensus, si ex Hebræo vertas, *Tugurium faciam ei*. Est enim tugurium, cōmorandi locus, ei aptus qui iter faciens per loca deserta, non habet stabilem mansionem. Lipomanus in sua in Exodum catena aduertit: quia, *nauah* Hebræis etiam habitare significat, nonnullos vertisse: *Et habitaculum faciam ei*; vel, hospitio suscipiam eum; vel, extruam ei tabernaculum, in quo scilicet eum colam. Fauet Chald. Paraphr. qui sic vertit: *Hic est Deus meus, & ædificabo ei sanctuarium.* Optat ergò populus habitare cum Deo; quem fortem, & sibi propitium expertus est: desiderio nimirum impulsus, mente, votis, affectibus, atque operibus religiosis, illis perpetuò inseruiendi. — *Vatab. Deo erigendū est tabernaculum in quo adoretur. Oleaster. 1. Paral. 2. Lipomanus. Chald. paraphr.*

VII. *Deus patris mei, & exaltabo eum, &c.* Hebraicè, *Elohe*, patris mei. Nomen est Dei sumptum à iudicio. Fatetur se non venerari nouum Deum, sed eundem Deum, quem patres eorum, vt summum mundi iudicem, coluerunt. Cuius etiam promissa patribus eorum facta, ipsi vident adimpleri. — *Elohe.*

Vers. II. *Iste Deus meus, & glorificabo eum.*

Quid indicet pronomen, *iste*, dum dicitur, *iste Deus meus.*

ANNOTATIO I.

I. Hebræi doctores, in ea sunt opinione, vt affirment pronomine, *Iste*, denotari hoc loco visibilem Dei præsentiam; qua se ostendit Israëlitis, in periculo constitutis, supra mare rubrum, bellatori viro similem, & ad profligandos populi sui hostes accinctum: clariúsque fuisse visum à populo, & manifestiùs, quàm postea à prophetis. — *Hebræi putāt Deum visibili forma apparuisse in mari rubro. Deus bellator.*

II. Meritò Lyranus hanc opinionem confutat. Hæc assertio, vt ille ait, nullam habet ex diuina Scriptura autoritatem, ideóque eadem facilitate contemnitur qua inculcatur. Somnium namque Hebræorum est, fieri à prono- — *Lyranus.*

 mine,

Non apparuisse Deū ipsum visibili specie supra mare. Exod.14.

mine, *iste*, demonstrationem ad sensum quo tunc Iudæi videbant Deum in aliqua similitudine visibili, ita, vt digito ostenderent eum supra mare rubrum. Deinde, cùm ille populus acerbè & iniustè contra Mosem admurmurasset, non est credibile, eum fauorem, indignis, tam mirabili modo præstitum, ab Scriptura taceri. 3. Quia ipse textus sacer apertè declarauit cap. 14. quonam modo Deus apparuerit, supra insurgentes in Ægyptios maris rubri fluctus. Sic enim ait: *Iā aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciēs Dominus super castra Ægyptiorū, per columnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum & subuertit rotas curruum; ferebanturq; in profundū, &c.* Sic tunc Deus apparuit non in effigie hominis armati, sed in admirabili operatione virtutis: ex illa columna nubis & ignis, quasi eiaculantis tela, fulgura, & cum tonitru, horribilem ventum: quibus rebus implicati Ægyptij, cum rotis & equitatu, oppressi perierunt. Vnde in hoc ipso cantico dicitur; *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam.*

Ægyptij emisso ex nube igni & procella perierūt.

Non Deus ipse sed Angelus apparuit quasi vir pugnator. Exod.14.

Deus prouidit, ne in apparitionibus populus imaginem videret, quā postea, vt Deum, coleret. Exod. 3. Deut.4.

III. Quartò: non rectè dicunt Hebræi; eum qui apparuit populo supra mare rubrum, fuisse Deum. Fuit enim verè Angelus, Dei vices in columna gerens, vt docetur in eodem capite 14. *Tollens*, inquit, *se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Hunc Angelum, vocat Moses ad finem capitis citati, Deum, non quia Deus esset, sed quia iussu Dei, iter Hebræis ex columna ostendebat. 5. Deus, non ignorans populi Israëlitici ad idola colenda propensionem, prouidit ne populus videret imaginem aliquam in apparitionibus, quam posset arte imitari. Quare nec in rubo, Mosi; nec in monte Sinai, vniuerso populo; nec in Oreb, Eliæ in specie aliqua hominis aut animalis apparuit: dūtaxat in igne & in sibilo auræ tenuis præsentiam suam exhibuit; vnde Deut. 4. scriptum est: *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis; vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis*; & paulo infrà: *Non vidistis aliquam similitudinem, aut imaginē masculi, vel fœminæ, &c.* Quid si dicant Hebræi, potuisse eos adorare non imaginem, sed Deum in imagine? Imprimis Dominus id tunc illis expresso mandato prohibuerat, quòd transgredi coram Mose nefas erat. Deinde quicquid sit de adoratione, falsum est quod illi dictitant; clariùs nimirum, & perfectiùs à populo tunc Deum fuisse visum in illa bellatoris similitudine, quàm postea ab vllo Propheta. Licèt enim demus Deum apparuisse in illa imperatoris ad pugnandam accincti effigie: profectò, solam illam similitudinem Dei, qualis qualis fuit, non autem deitatem ipsam, videre potuerunt: quæ, cùm incorporea sit, solo intellectu, eoque diuinitus illustrato, & eleuato, percipi potest. Hanc autem illustrationem quis credet habuisse tunc Hebræos? Habuerunt tamen aliquo modo Prophetę, quibus Deus, non diuinitatem sed multa Ecclesiæ suæ informandæ necessaria aperuit mysteria.

Iudæis prohibitum erat in imagine aliqua Deum adorare.

Hallucinātur Hebræi, dicentes Deum in bellatoris effigie clarius à populo fuisse visum quā à prophetis.

Deitas, non nisi ab intellectu diuinitus illustrato videri potest, imò nec eo modo percipi quo mysteria reuelat.

Vers. II. *Iste Deus meus, & glorificabo eum.*

Hemistichij huius allegorica expositio.

ANNOTATIO II.

Deus non solùm mente sed etiam ædificatione templorum colendus est.

I. QVem Deum esse profiteris, hunc & laudibus & omnibus modis decet venerari. Non satis est, si hymno celebres illius laudes, nisi etiam templum.

plum ei ornes. Sit Deus tuus, tibi, laus tua: hoc est, Numen, quod solùm animo syncero, & religioso laudare debeas, sit etiam habitaculum tuum. Vnde pro, *glorificabo eum*, legit Oleaster, *tugurium ei faciam*, nempe sedem in qua cum illo habitem, eique, non solùm interno cultu, sed etiam externo, seruiam. Hîc tuus debet esse animus. Si tamen non tibi sunt opes ad extruendas, & magnificè ornandas Deo ædes sacras: id offeres quod tua mediocritas suppeditauerit. Rectè Plinius excusans muneris exiguitatem, in præfatione ad Vespasianum, ait: *Immensa prater cateras, subit cura, vt qua tibi dicantur, condigna sint. Verùm & dys lacte rustici, multaq; gentes supplicant, & mola tantùm salsa litant, qui non habent thura. Nec vlli fuit vitio, Deos colere quocunque modo posset.* Hæc ille: Offer igitur Deo tuo, vel campi flores, si tibi non sint Indici odores: acceptabit Deus animum ad meritum, apud quem, vt Theologia docet, voluntas pro facto reputatur. Cogitauit aliquando Dauid templum regio sumptu, & apparatu magnificum extruere: quia indignum videretur, & quodammodo nefas, hominem in domo cedrina habitare, Deum verò in papillionibus. Non admisit tamen Deus, id pij animi votum, dicens per Nathan Prophetam: *Non adificabis mihi domum*: Laudauit tamen serui sui voluntatem, vt constat ex 2. Paralip. 6. *Fuit* (inquit Salomon) *in corde patris mei adificare domum nomini Dei Israël. Sed, dixit Dominus ad eum, pro eo quod fuit in corde tuo adificare domum nomini meo benefecisti:* Vbi vides quanti Deus fecerit animum, quem Dauid habuit ædificandi Deo suo, domum: siquidem in remunerationem tam religiosæ voluntatis, domum illi ædificauit in Israël stabilem, & ferè vsque ad Messiæ aduentum permansuram.

Oleaster.

Qui templa nõ potest adificare Deo, qua potest offerat.

Plinius.

2. Paral. 6.

Grata Deo fuit & accepta voluntas adificandi templum.

II. Pulchra etiã æquè & ingeniosa allegoriæ expositione vtitur Rupert. lib. 2. comment. in Exod. cap. 37. *Quid est*, inquit, *iste Deus meus, & glorificabo eũ? Iste, inquam, quondam despectus & nouissimus virorum, & vir dolorum, & sciens infirmitatem: Qui moriendo talem equum & talem ascensorem, sic proiecit in mare? Iste est Deus meus: & homo est, & Deus meus est, glorificabo eum, & non erubescam eum. Sed dicunt mihi synagoga Iudaorum, & conciliabula hareticorum: si iste homo est Deus tuus, Deus recens est, & Deus alienus, & contradicis Scriptura pracipienti Psal. 80. Israël, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Sed ego respondebo ad ista, & cantabo confidenter, iste Deus meus; & glorificabo eum: Deus patris mei Abraham, & exaltabo eum.*

Rupert.

Exod. 15.

Ingeniosa expositio Christus vocatur Deus à Mose dicente, iste Deus meus, &c.

Psal. 80.

III. *Nam vt ipsemet dixit Iudæis, antiquitatem eius non intelligentibus, Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. Rursum antequam Abraham fieret, ego sum. Igitur non est in me Deus recens, neque adoro Deum alienum, sed Deum patris mei, & Deum antiquum. Nam etsi filius est, ne atomo vno minor est patre. Istum igitur verum Deum exaltabo, & glorificabo. Ita Rupertus.*

Ioan. 8.

Filius Dei, nec atomo vno minor est patre.

Vers. II. *Deus patris mei: & exaltabo eum.*

Quem vocet Moses patrem suum? & de exaltatione Dei.

ANNOTATIO III.

I. COgnoscit Moses, non solùm esse Dominum suum Iehoua autorem scilicet tanti beneficij: sed etiam Deum eundem agnoscit patris sui: ac propter

Maiores nostros nō solùm imitari conamur in moribus, sed etiam in cultu religionis.

propterea à se atque à cæteris Israëlitis, tanquam à filiis, magnificè, vel ex hoc capite extollendum. Illud etiam insinuat quod experientia comprobat; homines, sicut natura duce, maiores suos & progenitores in moribus conantur imitari, iuxta illud:

Mantuanus.

Quo viret in folijs venit ab radicibus humor;
Sic patrum in natos abeunt cum semine mores.

Deut. 32.

Ita etiam in cultu numinis, & religione vnius Dei. Vnde Deuter. 32. queritur Dominus de Iudæis, quòd eos secuti sint Deos, quos non coluerant patres eorum. Nomine patris sui, haud dubiè Abraham intelligit, quē Paulus ad Rom. 4. vocat, patrem credentium: *Accepit*, inquit, *signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt pater esset omnium credentium, &c.* Et propter quem Deus posteritati illius, multa contulit beneficia.

Roman 4.

Visus est Deus Iudæis dormire quamdiu in Ægypto fuerunt.

II. Accedit, Abrahamo promissa fuisse à Deo ea quæ ipsi gaudio delibuti, impleri nunc vident. Visus est illis Deus post tot promissiones, quasi dormisse, quandiu captiui in Ægypto fuerunt: nunc iam intelligunt suscitari diuinam potentiam, & rata fore iuramenta, & promissiones patribus factas de possidenda terra Chanaan. Quod recolens in suo cantico Habacuc, ait; *Suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus, quæ locutus es.* Quibus verbis significat, Deum non solùm promissione, sed fœdere quoque percusso, certiorem de his fecisse Abrahamum, vt reuera fecit Genes. 15. quando nimirum poscenti indicium aliquod, quo sciret venturam posteritati suæ, terræ promissæ possessionem, Dominus vaccam triennem, capram & arietem, turturem, & columbam ferire in fœdus præcepit. Idcirco ergo Abrahami, patris Hebræorum, Deus dicitur ille, qui communis est Deus, quia ei, qui pater est, facta iuramenta, nunc incipiunt in filiis adimpleri. Cæteroqui Abraham ipse, neque passum pedis in terra promissa est assecutus, vt ait Protomartyr Stephanus, Act. 7.

Habacuc 3.

Genes. 15.

Act. 7.

Exaltatur Deus multis modis supra omnia.

III. Dum ait, Exaltabo eum, metaphoricè quidem, sed valde conuenienter, multiplicem Moses altitudinem Deo attribuit, qua super omnia excellit. Primùm enim excellit omnibus rebus altitudine substantiæ: quæ quicquid in rebus sparsum est, ipsa cum quadam infinita eminentia continet: Deinde excellit altitudine scientiæ, omni intelligentiæ creatæ, siue illa angelica sit, siue humana. Ierem. 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Paul. Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c.* Tertiò, altitudine potestatis, cui nemo potest resistere. Quam agnoscēs Nabuchodonozor, Dan. 4. dicebat: *Ego Nabuchodonozor benedixi altissimo, & viuentem in sempiternum, laudaui, & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna.* Et filio eius Balthasari, dixit Daniel: *O Rex, Deus altissimus, regnum & gloriam dedit Nabuchodonozor patri tuo. Quoniam autem eleuatum est cor eius, & spiritus eius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, donec cognosceret quòd potestatem haberet altissimus in regno hominum.* Quartò, altitudine maiestatis, qua ad sui obedientiam & adorationem omnia subiicit. Isai. 45. *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo: sed mihi curuabitur omne genu.* Et Iob 9. *Coram ipso curuantur qui portant orbem.*

Scientia Dei. Ierem. 32. Rom. 11.

Dan. 4.

Altitudo maiestatis Dei. Isai. 45. Iob 9. Psalm. 8.

IV. Quid, quòd Isaiæ 6. Seraphim facies suas præ reuerentia pennis tegunt? Et Psal. 8. Clamat vates regius, *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Ad hæc Deus exaltatur, ob celsissimam habitationem

tationem; licèt enim vbique sit, in empyreo tamen, tanquam in aula regia, quia ibi Angelis, & cæteris beatis manifestatur, dicitur commorari. Vnde, vbi legimus Psal.90. *Altissimum posuisti refugium tuum* : & Græcus codex habet, *Altissimam posuisti euasionem tuam*. Chald. Paraph. vertit: *In altissima mansione posuisti domum habitationis meæ*. Nos ergo, ad habitationem illam cœlestem anhelantes, vt beato Dei conspectu perfruamur; laudemus illum; frequenter Mosaicum carmen, ad leuandas huius exilij molestias, recitantes, vt discamus in terris hymnum, quem perpetuò sumus ad præsentiam Agni, vt Ioan. ait Apoc. 15. modulaturi in cœlis: in veram nimirum promissionis patriam Christi liberatoris nostri inducti beneficio.

Psalm. 90. *Chald. Paraphr.* *Apoc. 15.*

CANTICI MOSIS SECTIO IV.

Vers. III. *Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen eius.*

IV. *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro.*

V. *Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profundum quasi lapis.*

Pagn. *Dominus vir bellator; Dominus nomen eius. Currus Pharaonis, & exercitum eius deiecit in mare. Et electi principes eius submersi sunt in mari suph. Gurgites operuerunt eos: descenderunt in profunda tanquam lapis.*

Vatab. *Dominus vir bellator: Dominus nomen eius; quadrigas Pharaonis, & copias eius deiecit in mare: Et electi triarij eius demersi sunt in mari carectoso. Abyssi eos operuerunt: descenderunt in profunditates tanquam lapis.*

70. Interp. *Dominus confringens bella: Dominus nomen illi &c. Electos ascensores duces submersit in rubro mari: Ponto cooperuit eos, &c.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. Sensus est: Dominus, se mihi præbuit bellatori viro similem: adeo, vt hostes mei, illum experti sint, me propugnantem. Fugiamus (inquiunt illi timore perculsi) Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis. Nomen illius scire vis? omnipotens est. Hoc nomine ab aliis diis secernitur: suam verò omnipotentiam, etiam hac in re declarauit, quòd Paraonis quadrigas exercitúmque fluctibus immersit. Electi principes eius, siue ascensores tristatæ, vt legit D. Hieronymus; siue triarij, vt vertit Vatab. submersi sunt ab eo in mari rubro absque vlla mora, vorticibus rapidis aquarum gurgites eos cooperuerunt, ac præfocarunt in ima pelagi vada: abundis instar lapidis suapte pondere subsidentis, deuorati, in profundum abierunt. *Hieronym.* *Vatab.*

II. *Dominus quasi vir pugnator &c.* Hebraicè, Iehoua, vir belli, siue pugnæ: Iehoua nomen eius. Appellatur autem vir belli, eo quòd pro filiis Israël, instar bellatoris, pugnauit contra Ægyptios: Propriè tamen Iehoua dicitur, *Iehoua, vir belli.*

Caietanus. *Oleaster.*

vt annotauit Caietanus, quia hoc nomine ſignificatur ſubſtantia, quam ipſe à ſe habet, tanquam fons; vnde ad res alias deriuatur quicquid eſſentiæ aut vitæ habent. Oleaſter autem aduertit nomen ineffabile Iehoua non fuiſſe à Deo patribus indicatum quoad vnam, quam præter alias habet, veram & propriam ſignificationem. Significat quippe conterentem: ab, *houah*, quod eſt, contritio. Etſi enim antiqui patres, Deum cognoſcerent beneficum, & ſufficientem: non tamen præliatorem, & veluti virum belli, agnouerunt, conterentem ſcilicet inimicos. Talem nanque primùm in tranſitu maris rubri, ſunt experti. Vnde dicunt: *Dominus eſt vir belli.* Ipſe, quod hactenus ignorabamus, bellator eſt, & cum hoſtibus confligit. Neſciebamus eum vocari à nobis poſſe Iehouah, hoc eſt, conterentem: Id hodie ſcimus. Hinc infert Oleaſter, ex loco iſto, ſic explanato, intelligi obſcuritatem alterius, qui Exod. cap.6. habetur, de nomine quod ſe indicaturum Iudæis pollicetur: cùm tamen id illorum patribus non indicauerit, atque adeò idem eſſe cognoſcere Deum bellatorem, ſiue virum pugnæ; atque Iehouah eſſe nomen eius; Non eſt tamen negandum יהוה, nomine, tam in Hebræa quàm in Græca, & Latina translatione, Dei maieſtatem & potentiam in Scriptura ſignificari: nobíſque eam ſignificationem vocabulo Domini inſinuari. Quod obſeruauit Antonius à Fonſeca, in annotationibus ad Caietanum, hoc loco. Et conſtat ex Marci vltimo, vbi ſcriptum eſt: *In nomine meo dæmonia eiicient:* id eſt, virtute & potentia mea. Hebraica ſic habent: Iehouah is milchama, id eſt, *Dominus vir prælij:* quo Hebraiſmo ſignificatur admodum bellicoſus. Chald. Paraph. *Dominus eſt victor bellorum.* 70. Interpr. Κύριος συντρίβων πολέμους. hoc eſt, Dominus conterens ſeu confringens bella. Latinus interpres, ne gentes fortaſſe ex paganiſmo dudum ad fidem conuerſæ admirarentur, Deum vocari virum bellatorem, & Martem cogitarent, appoſuit particulam, *quaſi*, vt ſimilitudinem, non proprietatem intelligeres.

Antiqui patres, non cognouerũt Deũ bellatorẽ ante tranſitum rubri maris.

Oleaſter. Exod.6.

Dei nomẽ potentiã & maieſtatẽ ſignificat.

Antonius à Fonſ.

Marci vlt.

Chald. Paraph.

70. Interp.

III. *Proiecit in mare &c.* ירה, *Iara*, ſignificat proijcere, & iaculari; atque adeò ſcitè tranſtulêre nonnulli, *eiaculatus eſt*: Hoc eſt tanta facilitate deiecit in mare militiam Pharaonis, quanta quis arcu ſagittas emittit. Dum autem ait Moſes: *Currus Pharaonis &c.* per ſingula narrat quæ ſupra ſummatim propoſuerat. Quaſi dicat, qui in operibus luti & lateris fideles oppreſſerat, & infantes pueros in fluuio iuſſerat præfocari: is nunc, cum principibus ſuæ aulæ; & curruum magnifico apparatu, in cæno, & luto rubri maris hæret infixus, vt culpæ pœna reſpondeat, & ij cum Tyranno puniantur, qui iniquo illius decreto aſcenſum præbuêre.

Pœna culpæ conſentanea.

IV. *Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro &c.* Oleaſter legit, *in mari termini*, quia verbum *Tabà* ſignificat propriè mergere & figere: non quòd ſemper mergere ſignificet: frequentiùs enim eſt, implere ad deſcenſum rem aliquam, quaſi ad ima, licèt non demergatur. *Suph*, autem quod hîc pro rubro ponitur, apud Hebræos ſignificat (vt idem interpres ait) finem, aut terminum, & iuncetum, quòd ſit terminus terræ, iuxta aquas, atque adeò hic vertendum eſſe, *In mari termini*, ſiue vtrinque littore coanguſtati. Dici autem mare rubrum, mare finitum ſiue terminatum, quia non ita protenditur, vt Oceanus. Caietanus à Græcis putat mare illud appellari rubrum, ea cauſa quòd arena illius rubra ſit, & rubere faciat mare ipſum. Hebraicè nanque, non

Oleaſter. Tabà.

Suph, id eſt, mare rubrum.

Mare rubrum cur mare termini dicatur.

Caietanus.

non rubrum mare, sed mare cannæ, siue, vt Vatab. vertit, Carectosum, aut iunceum, à calamis seu iuncis, siue papyris in magna copia ibi crescentibus, nomen accepit. Est autem mare rubrum (vt semel id dictum sit) totum illud mare, quo Arabia felix à meridiano latere includitur, sicut Persico sinu ab Oriente. Existimat Antonius à Fonseca, Caietani scholiastes, forsitan rubrum dici id mare, quòd in sanguinem versum sit, cùm inter cæteras plagas Ægypti, aquæ colorem imbiberunt sanguineum. Alij, in quibus est Quintus Curtius, Erythræum mare vocari contendunt, ab Erythro Rege: cuius sepulchrum ab incolis illius oræ, in eo ostendatur: quod etiam affirmat Strabo. *Mare rubrum à rubra arena. Vatab. Quid termini habeat mare rubrum. Scholiastes Caietani. Mare rubrum factum quãdo Moses vertit aquas in sanguinem. Q. Curtius. Strabo.*

V. *Descenderunt in profundum quasi lapis &c.* Hebraicè, *bm'zoloth*, id est, in profunda, seu profunditates: Æquum autem est, vt qui duritiem lapidis imitati sunt, & Deo restitêre, ad imas Pelagi lacunas, nunquam ad superas oras euasuri tendant, facti immobiles quasi lapis. Pro abysso est in Hebræo, *Tehom*, quod aquam significat profundam, aut locum vbi aqua profunda fuit, vt annotauit Oleaster Gen. 1. pro: *In profundum*, poterat reddi in obscura, seu vmbrosa. *Sul* enim, & *sálal*, Hebraizantes eiusdem esse putant significationis. Solet nanque aqua in profundo esse obscura, eo quòd non penetrant illuc solares radij. *Tehom. Hebr. Oleaster. Gen. 1.*

Vers. III. *Dominus quasi vir pugnator &c.*

Quid causæ sit cur Deus quasi vir pugnator contra Ægyptios dimicarit?

ANNOTATIO I.

I. SI quis miretur, cur Deus pugnator siue bellator dicatur, & pro Israële, contra Pharaonem & Ægyptios decertare visus sit, facilè intelliget, id propterea fieri quia insitum est hominibus, quæ valdè amant, pro iis pugnare, eòque magis, quo inter res suas & opera rem aliquam censeri vident. *Domine* (inquit propheta) *opus tuum, in medio annorum viuifica illud*: Opus Dei vocat Israëliticum populum, in quo multùm operæ, &, vt ita dicam, expensarum, posuerat Deus. Neque enim communibus dumtaxat omnium nationum beneficiis illum affecerat: sed in peculium & gentem sanctam seligens, portansq; *super alas aquilarum*, vt dicitur Exod. 19. amore & honore præcipuo ac pene singulari, semper fouerat, & diuitiis amplissimis cumulauerat. Israëlem quoque Isaias cap. 29. opus Dei vocat. *Hæc*, inquit, *dixit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham: non modò confundetur Iacob: nec modò vultus eius erubescet: sed cùm viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, &c.* Idem cap. 45. *Hæc dicit Dominus sanctus Israël, plastes eius: ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearũ mandate mihi &c.* Quid opus est multis? certè nulla est frequẽtior in sacris literis metaphora, illa quę populũ Hebræum, Dei vineam, Dei ædificationẽ, Dei agriculturam & plantationem appellat. Fuere reliquæ nationes, creationis beneficio, Dei opus: verùm cum syluestribus labruscis, & vitibus erraticis, horridè & inordinatè dispersis, comparari possunt. At populus Israël, in exitu de Ægypto, *Habacuc 3. Dei in Israëlitas benignitas. Exod. 19. Isaias 29. Israëlitæ opera manuum Dei cur dicantur. Isa. 45. Hebræi, dicti sunt vinea, & plantatio Dei.*

Isa.5. quasi vinea fuit ex selectis à Deo surculis depangenda, & plantanda, *in cornu filio olei*: hoc est, in monstrosa Palæstinæ regione, lacte & melle fluente: in *Deut.11.* qua oculi Dei sunt, à principio anni vsque ad finem eius. Hanc vineam statuit sepe circundare, &, lapidibus electis, ædificata in medio turri, commu- *Habacuc 3.* nire. Cùm ergo Habacuc Israëlem in periculo constitutum videret, Deum rogauit vt populum hunc, qui tot nominibus opus illius vocatur, viuificet: hoc est, vt Hebræa sonant, conseruet, & liberet. Qui enim in afflictione & periculo graui constitutus est, mortuo similis dicitur: ac, dum ei succursum est, perinde habet ac si reuixerit, aut iterum in lucem sit editus. Viui- *Quid sit viuificari in medio annorum.* ficari autem postulat Israëlem, *In medio annorum*: hoc est, in medio spatio illorum infelicium dierum, in quibus Babylonem, eiúsque vniuersos incolas, igni ferróque Persarum funditus audierat deuastandos. *In medio*, inquit, id est, cùm in præcipiti erunt mala: & circumfluentibus vndique malorum turbinibus, nulla affulgebit emergendi spes. In medio nanque alicuius rei dicitur esse interdum, quod illius vi, hinc inde premente, vrgetur maximè, atque sic coarctatur, vt circunfuso calamitatum nimbo, nullus effugiendi pateat locus.

II. Quis ergò mirari potest, induci à Mose Deum instar bellatoris, qui *Deus Israëli quasi gregi suo notam circuncisionis inussit.* pro Israële, populo nimirum sibi peculiariter addicto, & circuncisione, quasi stigmate, sui peculij facto, decertet? Opus Dei erat tunc hic populus, cui, vt artifices solent, tanquam absolutissimo manuum suarum operi, & suum nomen inscripserit, & notam ferro inusserit. Idcircò, cùm in exitu de Ægypto, ineluctabile imminere exitium operi manuum suarum videret: quasi vir pugnator, scuto & armis suæ virtutis, contra Hebræorum hostes, in terra, in mari, & vbi non? strenuè depræliatus est, atque insignes assecutus est victorias.

III. Porrò, vt Dei erga opus suum, Israëlem dico, clementiam intuearis, & venerari discas: dignus erat hic populus, non cœlesti vlla ope, aut fauore: sed innumeris potiùs suppliciis. Quippe qui, Dei sui, cui tot beneficiis obstrictus erat, oblitus, abominationes, & idola in Ægypto coluerat, vt scri- *Ezech.cap. 20.* bit Ezech. cap. 20. cóque processerat infidelitate, vt tot ac tantis in Ægypto conspectis miraculis, & Deo ipsi diffideret, & legatis eius Mosi & Aaron, *Exod.5.* identidem obmurmuraret: *Videat*, inquiunt, *Dominus*, *& iudicet*, *quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone*, *& seruis eius*, *& præbuistis ei gla-* *Exod.14.* *dium, vt occideret nos*: Rursum cap. 14. scriptum est: *Cùm appropinquasset Pharao*, *leuantes filij Israël oculos suos*, *viderunt Ægyptios post se*, *& timuerunt valdè: clamaueruntq́; ad Dominum*, *& dixerunt ad Mosem: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine? Quid hoc facere voluisti*, *& educere nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo*, *quem loquebamur in Ægypto, dicentes: Recede à nobis*, *vt seruiamus Ægyptijs? &c.* Dei tamen tam insignis fuit & admiranda benignitas, vt pro tot flagitiis quibus Iudæi non solùm puniri, sed etiam aboleri penitus meruerant, beneficia rependerit amplissima.

IV. Atque, inter cętera, hoc cõmemoratur, quòd illis periclitãtibus, & tantùm non ab hostium innumerabiliũ exercitu, gladio aut flãma deuoratis, Do- *Dominus omnibus modis suos iuuat.* minus memor peculij sui & nominis, è cœlo adfuerit. Quo putas habitu! Quasi vir pugnator, inquit, Moses. Omnes benignus Deus modos experitur iuuãdi suos:

ſuos: in labore, requies eſt: in æſtu, tẽperies: in fletu, ſolatiũ: in ciuitate prudens conſiliarius eſt: in ſolitudine, fidus comes: in pace virtutum promouet ſtudia: in bello pro nobis pugnat. Vtinam ad illius obſequium ita voluntates noſtras flecteremus, vt ille ſe ad ea quæ vtilia nobis & ſalutaria eſſe poſſunt, exhibenda, ſe accommodat. Vrget equitatu Pharao: vrget pedeſtribus copiis à tergo Dei populum: à fronte, mare, tumenti fluctu vorticoſum obiicitur: vndique anguſtiæ, vndique trepidatio. Quid Deus? Opus erat, contra exercitum, quo populus premebatur, ne periret, potentia & maieſtate. Tonitru horribili repentè, veluti militari, tympano, aut tuba inſonante, arma ſua expedit, & milites cõuocat. Arma ſunt nubes, fragores, fulgura, procellæ: Milites, Angeli: Medius ipſe Deus conſpicitur, quaſi vir pugnator: vel, vt Hebrea ſonant, quaſi vir prælij; qui ſcilicet milites & arma ductans, vultum ſuum Iſraëli amabilem oſtẽdit: Ægyptiis verò, formidabilem. Nam ab ea parte qua inſequebantur Ægyptij Iſraëlem; gloria Domini, mirabili modo, horrorem tamen incutiente, ita emicuit, vt Latini poëtæ huc accommodare carmen illud rectè poſſis: *Vultus Dei. ſuis amabilis, hoſtibus formidabilis.*

Inuoluere diem nimbi, & nox humida cœlum *Virgil. Æneid. 1.*
Abſtulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.

Nubes namque, in qua Deus quaſi vir pugnator apparuit, media inter vtrunque populum conſtitit. Poſterior quidem pars, Pharaonem & illius caſtra, longo tenebrarum circumductu, ea circunfudit caligine, vt ſubitò occuparit

Horror vbique animos, & plurima mortis imago. *Virgil. 2. Æneid.*

V. Nec verò, hîc mali ſtat meta. Ignis vorax, imber lapidoſæ grandinis, rapidus vndarum vortex, & terrificans mentes fulgur, omnia conturbant. Fulminibus tacti currus, & equites plurimi, inſtar ſtipulæ, in cineres abeunt: iis vicini hærent, cœleſti flamma, obuia quæque corripiente, attoniti: haurit mare, quod viam dederat Hebræis, fluctibus in ſtatum priſtinum coëuntibus, innumerabilem Ægyptiorum multitudinem. Quid multa? Nec vnus quidem teſtis Ægyptiacæ cladis, ſuperſtes euaſit. Alia extitit à parte eiuſdem nubis anteriori ſpecies, alia habitudo; qua Dei populo ſe aſpectabilem præbuit. Lucem namque, benigna coruſcatione, eiaculabatur, quæ viam inter fluctus miraculo patefactam oſtendebat: &, quod magis mireris, inſtar exorientis manè ſolis, Dei præſentis gloriam procul emicantem, Hebræorum oculis inferebat: O magnam, & vix aliâs humanis oculis conſpectam Dei virtutem! Tam varios effectus produci potuiſſe ab vna eadémque nube, quis crederet? *Nubes Ægyptijs horrida, læta Iſraëlitis. Nubes lucem eiaculabatur Iſraëlitis fauſtam: eadem fulmina in Ægyptios eiibrabat.*

V I. Profectò, niſi vis diuina adſit, & naturæ virtutem ſupergreſſa, ad nutum ſuum & obſequium trahat elementa, nihil ſimile fieri poteſt: voluit Deus, periclitanti populo adeſſe; in quo, & nomen ſuum, & mandatam olim Abrahæ circuncisionem, quaſi inuſtum modò ſeruis ſuis ſtigma, & notam, propitius & fauens agnoſcebat: atque adeò, contra hoſtes, Iſraëlem, quem amabat, impugnantes; veluti bellator, armis ſuæ potentiæ inſurgit. Meritò regius vates Dei beneficia, quibus Iſraëlem, in maximis malorum incumbentium procellis cumulauit; & contra hoſtium rabidè ſæuientium impetum toties protexit, ſecum meditatus, in voces illas erupit: *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* *Pſalm. 90.*

Verſ. III. *Omnipotens nomen eius.*

Quomodo nomen Dei in ſacris literis dicatur omnipotens.

ANNOTATIO II.

I. Laudibus effert Moſes diuinam maieſtatem, dum ait: *Omnipotens nomen eius.* Nomen namque eſt tetragrammaton, Iehouah: quod non tam omnipotentiam quàm eſſentiam ſignificat, & quod eſt Græcis ὁ ὤν, *qui eſt.* 70. Interp. Κύριος ὄνομα αὐτῷ; hoc eſt, *Dominus nomen illi.* Memini me ſuprà annotaſſe, quod hoc loco non eſt prætermittendum, tantam ineſſe huic nomini maieſtatem, vt Exod. 6. nec 70. Interp. nec Latinus tranſlator auſi fuerint illud literis mandare. Cùm tamen eo loco Deus illius maieſtatem Moſi, vt rem magnam, & priſcis patribus ignotam patefecerit. In aliis ſacræ paginæ locis conſtanter vertit Latinus interpres, *Dominum*, pro Iehoua: in capite 6. Exodi *Adonai* tranſtulit, pro Iehoua. Hoc nomen, ob nimiam qua erat apud Hebræos, venerationem, non pronuntiabatur, niſi tantummodo in ſanctuario, in die ieiunij ſanctificationis, hoc eſt in die expiationis, vt tradit R. Moſes Ægyptius; idque à ſolo ſummo ſacerdote, cùm populo benedicebat: Erat quippe Hebræis perſuaſum, ineffabile eſſe nomen Iehoua. Non quod iuxta vocem ipſam proferri nequeat. Pronuntiabatur enim à ſummo Pontifice, facileque, vt ſcriptum eſt, à nobis poteſt pronuntiari, ſi cum apicibus, & punctis literæ ipſæ ſcribantur. Quid magni eſt pronuntiare Iehoua? Sed, idcircò ineffabile dicitur, quia cùm alia Dei nomina ab effectis omnia deriuata ſint; æquiuocéque ob reſpectum, vt aiunt, ad creaturas, ſignificent: Sacroſanctum tamen Dei nomen, יהוה, *Iehoua*, cuius deriuatio vera neſcitur, neque ad res alias funditur, vni tantùm Dei eſſentiæ ſignificandæ inuentum eſt: ita vt nulli creaturæ ſignificatio eius communicari poſſit. Nomen verò Dei אל *El*, quod 70. Θεὸν, id eſt Deum; Aquila ἰσχυρὸν; id eſt fortem; Latinus interpres, aliquando Deũ, aliquando fortem tranſtulerunt: *Elohim*, hoc eſt, excelſum; & *Sadai*, quod Aquila vertit ἄλκιμον, nos robuſtum, & ad omnia patranda ſufficientem intelligimus; aliæque ſimiles Dei appellationes, & nomina; per comparationem ad creaturas concinnantur, illiſque proinde interdum accommodantur, & cum emphaſi attribuuntur. *Vt enim*, inquit Apoſtolus, *ſunt qui dicantur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra.* Quia ergo Deus trinus & vnus, qui omnino ineffabilis eſt, & comprehendi nequit, per Iehoua ſignificatur: idcirco nomen hoc ineffabile eſſe eruditiores Rabbini dixerunt. Quare, nõ quoad vocem, vt aliqui Hebraizantes volunt, ſed quoad ſignificationem, ineffabile eſt. Ita namque diuinam ſubſtantiam per ſeipſum exiſtentem ſignificat, vt diuinarum perſonarum trinitatem, diſtinctionem, originem, productionem, ſimul cum ſimpliciſſima ipſius vnitate, inſinuare dicatur. Poteſt autem intelligi nomen Dei omnipotẽs eſſe multis modis.

Maieſtas diuini nominis. *Exod. 6.* *Adonai.* *Iehoua, tantùm in ſanctuario, & ſemel in anno, pronuntiabatur.* *R. Moſes.* *Nomen Iehoua nulli creaturæ communicari poteſt.* *70. Interp.* *Aquila.* *Varia Dei nomina.* *1. Cor. 8.* *Deus trinus & vnus per Iehoua ſignificatur.* *Iehoua nõ quo ad vocem, ſed quo ad ſignif. ineffabile.* *Dei nomen multis modis omnipotens dicitur.*

II. Primùm, quia Dei nomen, poſitum ſit pro ipſo Deo. Dicitur ergo Omnipotens nomen eius; ac ſi dicas Deo ineſſe omnipotentiam. 2. quia per inuocationem nominis Dei, miracula ſint à ſanctis viris non rarò patrata, quibus

bus ille suam declarauit omnipotentiam. An non legimus passim in Euangelio,& in Apostolorum Actis,in nomine IESV eiecta esse dæmonia à corporibus?infirmos sanatos?Et alia miracula patrata? Næ,mihi probabile est,à Mose,inuocato Dei nomine,virga percussum fuisse mare,& petram,cùm illud diuisum fuit: hæc verò aquas largita est populo sitienti.3. quia ex vsu loquendi maximè proprium videtur,vt Deum vocemus Omnipotentem,quòd solus faciat mirabilia,quæ nec homines,nec Angeli faciunt, nec intellectus comprehendit. Psalm.85. *Magnus es tu & faciens mirabilia,tu es Deus solus.* Et Psal. 76. *Tu es Deus qui facis mirabilia.* Isaias verò cap.25. Sic Deum alloquitur, *Confitebor nomini tuo Domine,quia fecisti mirabilia.* Hinc Ecclesia,in precationibus, Deum passim vocat omnipotentem, vt intelligamus, ab eo, quia omnipotens est, omnia sperari posse.

Miracula Dei nomine patrata.

Psal.85. Psal.76. Isaias 25.

III. Rupertus hoc loco,omnipotentiam nominis tribuit Christo, expugnanti Luciferum,cuius ipse,à mortuis resurgens, virus, tanquam Pharaonis currus,& exercitum, proiecit in mare; sic enim ait:Hac ratione quasi vir pugnator currum Pharaonis aërij,quo super nubium altitudinem equitare se credidit, *vt esset altissimo similis*, & vniuersum eius exercitum, tam vitiorum quàm errorum, ipsorúmque dæmonum, quos proposuerat in templis & delubris gentium pro diis adorandos, proiecit in mare. Moriendo quippe recepit omnem potestatem in cœlo, & in terra; & omnia traxit ad se. Hæc Rupertus.

Rupert. Christus resurgēs à mortuis, declarauit omnipotētiam suam. Isai.14.

Vers. IV. *Electi principes eius submersi sunt in mari rubro.*

Qui nam sint electi principes, qui à 70. Interpr. tristatæ dicuntur?

ANNOTATIO III.

I. VBi nos legimus, *Electi principes eius*, 70. Interpr. vertunt, *electos ascensores tristatas*: quo vocabulo vsi etiam sunt, Exod.14. Nam pro, *Et duces totius exercitus*, habent illi, *tristatas super omnes.* Nostra vulgata editio facilis est. Electa namque vocamus, pretiosa,& quæ magni fiunt. Vnde *electi principes* dicuntur primarij,& in aula præcipui. At enimuerò quid intelligant 70. Interp. per vocem, *tristata*, id nobis inuestigandum est.

70. Interp. Exod. 14.

II. D. Hieronymus super capit. 23. Ezechielis; tristatas vocant, inquit, 70. Interpr. quos nos principes principum interpretari possumus. Exod. 15. legimus, *Electos ascensores tristatas*: pro quibus Latina simplicitas, *ternos statores* transtulit. Tristata verò, nomen est, apud Græcos, secundi gradus post regiam dignitatem, de quo in Scriptura dictum est, *verumtamen ad tres primos non peruenit*: qui principes equitum peditúmque erant, & tributorum, quos nos magistros vtriusque militiæ,& præfectos annonarij tituli, nominamus,&c. Idem in Dan.cap.5. enarrans illud, *Et tertius in regno meo eris.* sic ait; Vel tertius eris, post me regem, vel vnus è tribus principibus, quos alibi tristatas legimus,&c. Hesychius, tristatam interpretatur, satellitem regium, qui tria vibrabat hostilia. Huius nominis fit mentio 4. Reg.7. secundùm translationem 70. Interpretum

Quid sit tristata. Hieronym. Ezech. 23. Exod 15. Tristatæ sunt primariorum principes. 2.Reg.23. Dan. 5. Hesychius.

Qui tria vibrabat hastilia, tristata dicebatur. pretum quæ sic habet: *Et respondit tristata super quem rex innitebatur, & quiescebat super manum eius,&c.* Etymologus, & Hesychius, satellitem regium, tria vibrantem tela, exponunt.

4.Reg.7. 70. interpr. Etymologus. Greg. Nyss. Tristata variè dicti. III. Greg.Niss.enarrans hoc carmen, sic explicat vocem, *tristata*. Contra hostiles manus, antiqui magnos currus faciebant; adeò, vt tres homines caperent: vt vnus quidem auriga esset; duo verò alij, certarēt: vel, super tribus equis ascendentes: vel, fortes viros qui possent contra tres stare. Vel tristatas vocat eos qui in acie phalangis, terni stabant. Primo enim occumbente, vel defesso, ὁ τρισάτης ingrediebatur in illius locum. Vel, tristatam dicit eum, qui tertius stat, dum rex sedet, vel tertiam sedem habet, vt erat Dauid apud Saulem. Hæc ille: accommodátque demersionem principum, qui tristatæ erant, ad tripartitam animæ diuisionem, quæ rationem, concupiscentiam, & iram continet; & præcedente prauo affectu, aut baptismo eluitur, aut in mari cum hostibus Christi demergitur, si Pharaonem, hoc est, diabolum, secuta est.

Origenes. Terni statores sunt Angeli. IV. Origenes hom. 6. in Exodum; tristatas, quos illius interpres vertit, ternos statores, tropologico sensu sic exponit: isti terni statores sunt Angeli nequam, de infernali exercitu Pharaonis, qui stant in omnibus vitæ huius humanæ viis obseruantes vnumquémque nostrûm, vt ad peccatum instigent & impellant: quos demergit Dominus in rubrum mare; & ignitis in die iudicij fluctibus tradet, ac pœnarum pelago obruet; si tu Deum sequens de eorum te potestate subtraxeris. Hæc ille.

Vers. V. *Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profundum quasi lapis.*

Tropologica expositio illorum verborum, descenderunt in profundum quasi lapis.

ANNOTATIO IV.

Origenes. I. NOn sunt prætermittenda quæ à Patribus hîc tropologicè dicuntur. In primis Origenes audiendus est, qui sic scribit: Quare descenderunt in profundum, quasi lapis? quia non erant tales lapides, de quibus suscitari possent filij Abrahæ; sed tales, qui amarent profundum, & liquidum diligerent elementum; id est, qui amaram, & fluxam præsentium rerum caperent voluptatem, &c.

Greg. Nyss. Ægyptij lapidibus similes ob ignorātiam Dei. Isaias 40. II. Gregorius Nyss. hîc: Descenderunt, inquit, quasi lapis. Nam, lapidibus erant stolidiores, & grauiores: nihil leue & subtile habentes. Sicut enim onus graue grauati sunt, & non in maris superficie sed in profundo aquæ ipsius; Quoniam & isti, in malorum profundum peruenerunt, pro nihilo ducentes Deum. Sed non huiusmodi sunt sancti: *vt nubes enim volant, inquit Isaias, & vt aquilæ per aërem feruntur.*

Hieronym. Isaias 14. Zachar.5. Impietas super talentum plumbi. III. D.Hieronymus in cap.14. Isaiæ, sic ait: *Sancti, pennas habent aquilæ, & pennas columbæ,* & dicere possunt, *Volabo, & requiescam.* Impij autem, & Ægyptiorum similes, *demersi sunt quasi plumbum, in aquis vehementibus; & demersi sunt in profundum quasi lapis.* Vnde & *iniquitas*, Zachariæ cap.5. siue vt habetur in Hebræo, *Impietas, super talentum plumbi sedere conspicitur.* Ergo illud quod legimus.

gimus, Lúcæ 18. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*, etiam rex confusionis passus est, vt detraheretur in fundamenta terræ; siue, vt habetur in Hebræo, in profundum laci. Idem in Ezech. cap. 22. *Ad hunc* (inquit) *sensum reor & illa esse referenda, quòd peccatoribus, & qui meruerunt offensam Dei, cœlum aneum terra sit ferrea, & maximè terra Ægypti, de qua educit Dominus Israël, quasi de fornace ferrea*: Et in Exodi cantico dicitur, *Demersi sunt, quasi plumbum in aqua vehementissima. Graui enim peccatorum pondere premebantur; & loqui poterant: Iniquitates meæ quasi onus graue grauatæ sunt super me &c.* *Luc. 18.* *Ezech. 22.* *Psalm. 37.*

IV. Glossa Interl. Meritò, inquit, quasi lapis descendunt in profundum, quia duri ipsi, & lapides adorabant. Hæc glossa; pulchrè expendens, quàm accommodata fuerit vitæ & instituto peccantium, pœna Ægyptiis à Deo irrogata. De onere peccati, quo pressi homines improbi ad ima feruntur, multa inuenies apud Isaiam & cæteros prophetas. Obtulit & diabolus Matth. 4. Lapides Christo, vt eum pondere peccati tentatum, ad ima traderet, si posset. *Gloss. Interl. Qui lapides adorabant, descenderunt quasi lapis. Matth. 4.*

CANTICI MOSIS SECTIO V.

Vers. VI. *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua Domine percussit inimicum.*

VII. *Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.*

VIII *Et in spiritu furoris tui, congregatæ sunt aquæ: stetit vnda fluens; congregatæ sunt abyssi in medio mari.*

Pagn. In solo vltimo versu, aliquid habet in sua translatione notatu dignum; sic enim vertit: *Et per ventum furoris tui coaceruatæ sunt aquæ: steterunt sicuti aceruus, fluenta: coagulati sunt gurgites in corde maris.*

Vatab. *Dextera tua Domine excellenti virtute eminuit: dextera tua ô Domine hostem confregit.*

Et in multitudine magnificentiæ tuæ subuertisti insurgentes contrà te: misisti furorem tuum, qui deuorauit eos tanquam stipulam.

In flatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ: flumina constiterunt: vt cumulus abyssi, coagulatæ sunt in medio mari.

70. Interp. Versum 8. ita verterunt: *Et per spiritum iræ tuæ diuisa est aqua: conglutinatæ sunt quasi murus aquæ: conglutinatæ sunt & vndæ in medio mari.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. PAraphrasis horum trium versuum sit: *Dextera tua Domine*, hoc vno miraculo apertè declarauit insitæ virtutis magnitudinem. An non singularis

gularis potentiæ tuæ vis Pharaonem, tuum, noſtrum, atque adeo communem hoſtem, profligauit? Profectò cum magnifica ſummæ gloriæ excellentiſque potentiæ tuæ declaratione, hoſtes deiecisti, in tui nominis iniuriam, & in gentis noſtræ perniciem incumbentes. Non aliter cœleſtis vindictæ impetus eos conſumpſit quàm vorans flamma ſiccam ſtipulam. Oſtenſione nanque indignationis tuæ, qua illorum ſuperbiam refutabas, & flatu validiſſimo, ab ira tua contra illos concepta, excitato, aquæ maris in duas partes ſectæ ſunt, & naturæ ſuæ fluxum, & ad lapſum natam conditionem oblitæ; vt populo tuo ſiccum iter pateret, in cumulos coierunt. Vnda fluxum ſuum reprimens, ſtabat immota, tuo ſeruiens imperio. Hinc & inde; O Dei virtutem ſtupendam! aquarum profunditates obſcuræ & maximæ, in medio mari conglomeratæ erant.

Diuina dextera omnipotens virtus.

Vatab. *Oleaſter.* *Adar.*

II. *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine &c.* Vatab. vertit, *Dextera tua Domine excellenti virtute emicuit.* Oleaſter pro *magnificata eſt*, transfert, *roborata eſt*; Nam verbum *Adar* quod hîc ponitur, ſignificat propriè, roborare. Addunt Hebræi, ſignificare etiam idem quod magnificare. Quam ſignificationem reſpexit vulgatus interpres, ſi tamen ad fontem attendas pro *magnificata eſt*: dices, *roborauit ſe* aut *roborata eſt*. Additur *in fortitudine*, quia fortiſſimam ſe oſtendit, in tam ingenti clade inimicorum. Ex Hebræo verti poteſt: *Dextera Iehoua fuit roborata in robore.* Vt enim Caietanus annotauit, Deum more humano tanquam virum præliatorem alloquitur; ſumpta tranſlatione à dextera ad pugnandum robuſta.

Caietanus.

Tirbaz. *Chald.* *Oleaſter.* *70. Interp.* *Iudic. 10.*

III. *Dextera tua Domine percuſſit inimicum &c.* Verbum *tirbaz*, reddunt nonnulli, *confregit*, & ita habet Chaldaica editio. 70. Interp. ἔθραυσεν, fregit. Aduertit Oleaſter, verbum *raas*, quod hîc ponitur, non eſſe vſquequaque notum, quoniam rarum eſt in Scripturis. Hîc nimirum & Iudic. 10. ſolùm inuenitur. Quare ſequi oportet ſignificationem quam illi tribuunt Hebræi: ſenſus ergo eſt: ex hoc admirabili facto, manifeſtiſſima redditur potentia manus tuæ. Neque enim humana virtute periit Pharao, ſed immenſa illa tua potentia.

Oleaſter. *Caietanus.*

IV. *In multitudine gloriæ tuæ &c.* Oleaſter legit: *In multitudine eleuationis tuæ*. In fonte habetur: *Et in multitudine ſuperbiæ tuæ*. Repetuntur enim verba, quæ ſunt in principio cantici, vt obſeruat Caietanus. Eſt autem multitudo ſuperbiæ diuinæ, ſecundùm multitudinem eminentium actionũ intelligenda, quæ in hoc mirabili tranſitu Iſraëlitarum per mare rubrũ, poſſunt conſiderari.

Caietanus. *Oleaſter.* *Chal. Paraph.* *70. Interp.* *Iniuria bonis illata cedit in Dei contumeliam.*

V. *Depoſuiſti aduerſarios tuos &c.* In Hebræo eſt, *diruiſti inſurgentes in te.* Verè, inquit, Caietanus, diruit, quando antequam clauderetur mare, rotas abſtulit: attonitóſque reddens Ægyptios, adhuc perſequentes populum Dei, deiecit. Quod iure factum eſt. Siquidem poſt tot miracula, ipſámque primogenitorum cædem, non tam populo, quàm Deo, populum protegenti, contumelioſi erant. Oleaſter legit, *deſtrues inſurgentes in te*: id eſt eleuando te multùm, vt ſis inimicis tuis ſuperior, deſtruxiſti eos, qui inſurgebant in te. Chald. Paraph. *Et in multitudine fortitudinis tuæ confregiſti eos, qui conſurrexerũt contra populum tuum.* 70. Interp. pro *depoſuiſti*, legunt *contriuiſti*. Hinc diſcant impij, & ad aliorum contumeliã proiecti, in Dei iniuriam cedere quicquid iniuriæ, ſeruis illius infertur: fieriq; hoſtes Dei, qui pios homines hoſtili animo perſequũtur.

VI. *Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos, ſicut ſtipulam &c.* In Hebræo eſt,

Mittis

Mittes iram tuam, quæ deuorauit eos, ficut ſtipulam. Igneam ſignificari Dei iram, & flammás vomentem, paleæ deuorandæ innuit ſimilitudo. Ignea autem hæc virtus, fortè emicuit, quando *reſpexit Dominus in vigilia matutina, in columna nubis & ignis*: multique Aegypriorum, non ſolùm aqua, ſed etiam eliſis in nube ignibus, ſunt deuorati. Sed quia ex huius loci çontextu, id opinari magis quàm affirmare poſſumus: ſatiùs erit, literam intelligere, vt ferè intelligunt interpretes: *Mutes iram tuam, quæ deuorabit eos, vt paleam*: hoc eſt, vt ignis deuorat, & in nihilum redigit paleam: an non eadem facilitate ira diuina conſumpſit Aegyptios.

Ignea Dei ira. Exod. 14.

VII. *Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ &c.* Oleaſter legit: *In ſpiritu furoris tui inuolutæ ſunt aquæ.* Solet enim, inquit, ventus vehemens aquas inuoluere in mari. Hebræi varias quidem tribuunt ſignificationes verbo *Aram* nempe callidum eſſe, ſeu aſtutum, coaceruare &c. Cùm reuera ſignificet inuoluere, ſeu inuolutum eſſe: & conſecutione quadam callidum eſſe: quòd callidus, ita videatur inuolutus; vt nemo cor illius pernoſcere queat. Vnde *aremah*, id eſt, aceruus, ſic dictus, quòd inuoluta ſint quæ in eo congregantur. Caietanus legit ex Hebræo: *Et in ſpiritu narium tuarum coaceruatæ ſunt aquæ*: additque hunc commentarium: ventus vehemens, in diuiſione aquarum commemoratur, tanquam cauſa ſecunda ad aceruos aquarum faciendos, velut aceruos manipulorum tempore meſſis. Ad talem coaceruationem alludit Hebraica dictio, vt intelligamus, ventum illum iuſſu Dei impuliſſe aquas diuiſas hinc inde, ſicut aceruos. *vbruah, appecha*: hoc eſt; vt aliqui vertunt, per flatum, ſiue ventum naris tuæ ſeu narium tuarum (nam אף *aph*, & furorem & nares ſignificat) quem emiſiſti. Deus enim autor eſt flatuum, & ventorum; Ideò dicitur ventus naris eius, hoc eſt, ab eo emiſſus. Quaſi dicat, feciſti vt ſpiraret ventus; & ad flatum illius repentè congregatæ ſunt aquæ. Chald. Paraph. *Et in verbo oris tui ſapienter congregatæ ſunt aquæ.* 70. Interp. *Et per ſpiritum iræ tuæ diuiſa eſt aqua.* Quæ lectio nihil continet contrarium ab eo quod in vulgata editione dicitur: *Congregatæ ſunt aquæ*: Nam priùs facta eſt aquarum diuiſio; deinde congregatio, vt eſſent populo Dei, inſtar muri.

Oleaſter.
Vir callidus ſinuoſum habet cor.
Caietanus.
Ventus vehemẽs tanquam flatus Dei aquas inuoluit.
Chal. Paraphr.
70. Interp.

VIII. *Stetit vnda fluens &c.* Hebraicè, *ſteterunt ſicut cumulus, ſiue aceruus fluidæ aquæ.* Poſſumus autem hîc duas radices conſiderare: pro quarum varietate, duplex eſt interpretandi modus. Nam ſi radix eſt, *Naad*, media *Aleph*, quod eſt, vter: optimè verterunt, qui reddunt, *ſicut aceruus*: ſiquidem (vt Oleaſter annotauit) *Naad*, vtrem; & *Ned*, aceruum ſignificat. Vter autem modum habet acerui. Si verò radix ſit *nud*, quod ſignificat, commoueri; vertendum eſt, *ſteterunt, ſicut commotio, fluenta.* Sed primum interpretamentum aptius eſt & germanius.

Oleaſter.
Aquæ iuxta Hebr. ſteterũt ſicut vter & aceruus.

IX. *Congregata ſunt abyſſi in medio mari &c.* Hebraicè, *coagulatæ ſeu coaceruatæ ſunt abyſſi in corde maris.* Oleaſter: *Condenſatæ ſunt voragines in corde maris.* Chald. Paraph. *Coagulatæ.* 70. Interp. *conglutinatæ ſunt vndæ &c.* Non diſcrepant hæ verſiones à noſtra vulgata. Hinc apparet, ventum illum, non ſolùm fuiſſe immiſſum ad ſiccandam terram, ſed etiam ad compellendam in cumulum aquam. Per modum nanque congelationis ſteterunt hinc inde aquæ: & tanquam muri & acerui aquarum effecti ſunt vtrinque ſuper mare. Porrò ad exaggerandum miraculum dictum eſt: *in corde maris.* Conglutinatio nanque

Oleaſter.
Chald. Paraphr.
70. Interp.

maris in extima parte intra exiguum terræ ambitum contenti; fieri naturaliter potest: sed in corde; hoc est, in media, ac profunda parte maris fieri, vt tunc accidit: id demum miraculum est.

Vers. VI. *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine.*

Quid, per dexteram Domini, quæ percussione inimici magnificata est, intelligat Moses?

ANNOTATIO I.

Gregor. Nyss.
Christus Dei potentia & dextera dicitur.
Rabanus.
Psalm. 117.
Matth. 11.
Christus alligans diabolum.
Apoc. 12.

I. GRegor. Nyss. nomine dextræ operantis miraculum, Christum intelligit, Dei filium; quem, dexteram, brachium, manum & potentiam Dei, sacræ literæ passim nuncupare solent. Christus, inquit, Dei potentia; & Dei sapientia est. Ipsa igitur gloriosa effecta est, cùm inexpugnabilis patris potentia illuxit: cúmque Pharaonem & omnem illius contriuit exercitum &c. Idem sentit Rabanus: *Quæ est*, inquit, *ista dextera, nisi illa, de qua in Psalm. 117. scriptum est, Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me?* Quæ inimicum verum, & antiquum hostem interfecit, per crucis mysterium: & per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, *alligans fortem, & vasa eius diripiens*: atque draconem; *serpentem videlicet antiquum, qui cauda sua, detraxit tertiam partem syderum, & misit in stagnum ignis ardentis, qui paratus est sibi, & angelis eius.* Vnde sequitur: *Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos*: gloria vtique resurrectionis Dominicæ, confusio fuit diaboli, qui cum Iudæis meditatus est mortem Christi &c.

Habacuc 3.
3. Reg. 27.
Moses vocatur Christus, id est vnctus.
Sacerdotes, propheta & reges inungebantur.
3. Reg. 19.
Psalm. 104.
Patriarcha dicti sūt Christi. i. vncti.
Psalm 44.
Greg. Nyss.
Christus Dei brachium & dextera.

II. Huc allusit Habacuc 3. Patrem diuinum allocutus: *Egressus es*, inquit, *in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*: Ac si dicat; Tu Domine, qui dum populus tuus in Aegypto duris luti & lateris operibus, & misero famulatu premeretur, abesse videbaris, aut in diuersorio dormire, vt 3. Reg. 27. Elias exprobrat sacerdotibus Baal, Tu, inquam, misericordiæ tuæ memor, egressus es ad saluandum populum tuum cum Mose, quem Spiritus sancti gratia vnxisti, vt dux esset atque propheta populo tuo. Vocatur autem Moses Christus, id est vnctus; quòd Hebræorum dux esset, & propheta; quamuis reipsa sacro vnguento non esset delibutus. Solebant autem, diuino instituto, ipsi Mosi tradito, Reges, prophetæ, & sacerdotes inungi: vt constat ex 3. Reg. 19. & aliis locis. Hinc etiam antiquissimi patriarchæ in Psal. 104. Christi dicuntur. *Non reliquit* (ait vates regius) *hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Fuerūnt autem vncti, atque adeò Christi nuncupantur, Patriarchæ & Moses, vnguento illo, quo Christus Dominus vnctus etiam dicitur Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: ac proinde, quam in typo Moses operatus est redemptionem; eam verus Christus, reipsa & in luce publica perfecit. Vnde meritò Greg. Nyss. per *dexteram Domini*. Christum hîc intelligit, potenti virtute, salutem nostram operantem. Est enim & brachium & dextera patris electos protegens, ab impiorum iniuriis.

Rupertus.

III. Ad Christum etiam trahit Rupertus allegoriam dexteræ diuinæ, in glorioso

glorioso martyrum agone, miraculis sæpe coruscantis. Sic enim ait: *Sit vox ista maxime martyrum nostrorum*: Per illos enim, dextera Domini, quæ cœlos fundauit & terram, mirificè glorificata est miraculis, templa damnum euertit: idola disperdidit: ita percussit inimicum in ferro & sanguine martyrum. In multitudine gloriæ suæ, in laudem & honorem gloriosæ gratiæ suæ, ô Sancta Ecclesia, deposuit aduersarios tuos. Hæc Rupertus. *In martyribus Christi dextera miraculis coruscauit.*

Verſ. VI. *Dextera tua, Domine, percussit inimicum.*

Timendam esse diuinam dexteram, quæ pios ad meliora prouocans, impiis exitium affert.

ANNOTATIO II.

I. AD tropologiam spectat, quod annotauit Greg. Magnus, in pastorali 3. p. cap. 27. citans hæc verba: *Dextera tua Domine percussit inimicum; vel, vt ille legit, dextera confregit inimicos.* Hostes, inquit, Dei, etsi in sinistra eius proficiunt; in dextera franguntur. Quia plerunque prauos vita præsens eleuat, sed aduentus æternæ beatitudinis damnat. Admonendi sunt igitur qui in hoc mundo prosperantur, vt solerter considerent: quia præsentis vitæ prosperitas, aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet: aliquando verò vt in æternum pleniùs damnet. Hinc est enim quod plebi Israëliticæ Chanaan terra promittitur; vt quandoque ad æterna speranda prouocetur. Neque enim rudis populus ille, promissionibus Dei in longinquum crederet, si à promissore suo, non etiam à vicino aliquid percepisset. Vt ergo ad æternorum fidem certiùs roboretur, nequaquam solummodo spe ad res, sed rebus quoque ad spem trahitur. Quod liquidò Psal. 104. testatur: *Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Sed cùm largientem Deum, humana mens, boni operis repensatione non sequitur, vnde nutrita piè creditur, inde iustiùs damnatur. Hinc enim per Psalmistam rursus dicitur: *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Quia videlicet reprobi, cùm recta opera diuinis muneribus non respondent, vnde exteriùs proficiût, inde ab intimis cadunt. Hinc in inferno cruciato diuiti dicitur: *Recepisti bona in vita tua.* Idcirco enim recepit bona in vita sua malus, vt illic pleniùs mala reciperet. Hæc D. Greg.

Greg. Magn. — *Dextera Dei, impij franguntur, boni eriguntur.* — *Psalm. 104.* — *In ipsa eleuatione superbi deijciuntur.* — *Luc. 16.*

II. Prosperitas ergo, bonis interdum conceditur; vt cognita diuina largitate, ad meliorem vitam prouocêtur. Sic Hebræis ab hostili terra egredientibus concessa est Chananæorum regio, cuius mira fuit eo tempore vbertas. Cõntrà verò aduersitas ita in obstinatos malitia peccatores, interdum furit, vt omnino eos deleat, ac funditus perimat. Quod accidisse Ægyptiis hîc Moses canit: Et Habacuc cap. 3. *Percussisti*, inquit, *caput de domo impij: denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Quorum verborum triplex est, quod ad rem nostram facit, explicatus; Primus est: Percussisti ô Deus! dextera virtutis tuæ, caput de domo siue regno Ægyptiorum, dum impium Pharaonem peremisti. Denudasti insuper fundamẽtum illius domus, ab imo vsque ad collum, quando populum, cum suo duce, in mare demersisti; sic vocabulo fundamenti, vul-

Prosperitas, bonis conceditur, vt ad meliorem vitam prouocentur. — *Habacuc 3.* — *Domus impij est, Ægyptiorum regnum.*

gus intelligitur:per collum,rex & magistratus.

III. Secundus sic habet:In gratiam populi tui, Pharaonis primogenitum percussisti:denudasti fundamentum Ægypti,id est,funditus subuertisti, vsque ad collum, qui regni primores sunt, Ægypti potentiam, exercitu Pharaonis deleto. Fundamentorum enim denudatione, omnis potestas fortitudóq; hostis præcisa & sublata significatur. Vides arborum radices, quibus terræ hærent,instar esse capitis in animantibus,& quæ his radicibus continua est,trunci partem,collum referre?Vtraque si amputentur, circunducta terra vi amota,arborem quis non intelligit citò perituram?Sic domus fundamenta,ad collum vsque,hoc est, vsque ad eam partem quæ speciosior est, & fundamenti innititur firmitudine,si quis diruat,ruinam sequi necesse est.

Collum, regni primores sunt.

Homines similes sunt arboribus.

IV. Tertius, priscum morem recolit, quo antiquissimi olim homines barbam ac villos tondere, & radere solebant iis quos seruituti mancipabant. Sunt varia in Scripturis sacris loca quæ hunc sapiant morem:Et caluitij & rasuræ nomine,seruitutem minentur.Hinc Isaias cap.3. *Decaluabit*, inquit, *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Et erit pro suaui odore fœtor:& pro zona,funiculus;& pro crispanti crine, caluitium.* Describit namque Isaias captiuarum habitum. Et Mich.1. *Dilata*,inquit, *caluitium tuum sicut aquila:quoniam captiui ducti sunt ex te.* Quin & Deus, Deut.32. *Gladius*, inquit, *meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Quem locum interpretes,incerti quid capitis nudatio significet, variè reddunt:quod attestatur August.Eugubinus:& confirmari potest, ex versionibus Pagn.Vatabli & Caietani.Et quidem Caietanus sic vertit;*Et prædæ de capite in vltionem inimici.*Hebræa sic habent:*Et captiuitatis de capite nudato inimici.*Dixerat autem Deus, *Inebriabo sagittas meas sanguine: & gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & captiuitatis.* Mox quam dixerat captiuitatem explicat; nempè abiectissimam seruitutem; abrasi scilicet ac nudati capitis inimicorum meorum. Chald.paraph.sic vertit: *Gladius meus occidet populos; de cruore occisorum,& captiuorum; vt auferam coronas de capite hostis, & inimici.* Coronas posuit,pro comis:quo pacto eadem vox ponitur, Ezech.24. *Corona tua circumligata sit tibi*;id est,non abscindas comam,&c.

Veterum denudatio, seruitutis erat indicium. Pilorum rasura quid olim significauerit. Isaias 3. Mich.1. Deut.32.

Aug. Eugubinus. Pagn. Vatab. Caietanus.

Abiectissima seruitus abrasione capitis indicatur. Chald. paraphr. Ezech.24. Habacuc 3.

V. Iuxta hanc interpretationem, idem significari puto à Mose, dum ait, *Dextera Domini percussit inimicum*;quod Habacuc cecinit,dicens: *Percussisti caput de domo impij*:nisi quòd percussio à Mose significata,latiùs adhuc funditur. Iam insignis ignominiæ nota olim fuit,capillos ac barbam itá radere, vt inferiores corporis partes nudentur:quo modo Hanon rex Ammonitarum 1. Paral.19.legatos Dauid decaluauit,rasit,& tunicas præcidit.Quid quòd ipsa sola capitis rasura,probro quondam fuit?Vnde illud:

1.Paral.19.

Ouid.

Turpe pecus mutilum:turpis sine frondibus arbos:
Et sine fronde frutex,& sine crine caput.

Tondere verò caput,ideo ab Ecclesia fuisse receptum Beda autor est; vt quod antiquitus probro dabatur,& ignominiæ apud Gentiles:id honori, ac decori apud Christianos haberetur.Nam & D.Petro ferunt cùm Antiochiæ prædicaret,caput ab infidelibus,vt cunctis ludibrio foret, abrasum fuisse. *Dextera ergo Domini percussit inimicum*:hoc est, Pharaonem, quem Habacuc vocat *caput de domo impij*,vt sit sensus, maximis opprobriis & ignominiis dextera tua Deus affecit

Beda. Cur Ecclesia receperit radendi morem. Caput rasum D.Petro.

affecit Ægyptum:non secus ac si caput illius rasura percussisses,inferioresque corporis partes, ad collum etiam vsque,quod pudori esse solet,nudasses:quod Habacuc expressit.

VI. *Fuit & alia radendi pilos occasio;cùm ingens cuipiam accidisset malum; quale homines reputant sibi euenire, in funere cognatorum, aut amicorum.* Vnde apud Homerum Achilles in Patrocli,sibi amore coniunctissimi,funere,comam rasit,atque in feretro deposuit,dicens: *Mos radendi pilos audito infelici nuntio,aut in re aduersa.*

Denoueo hanc Patrocle comam tibi,&c. *Homerus.*

Apud Sophoclem quoque, chorus in Aiace mastigophoro,qui paulo antè, sibi mortem,pudore furoris,quo turbatus fuerat,consciuerat, Tecmesam illius concubinam,ita alloquitur: *Sophocles.*

O sortis infaustæ misera Tecmesa ades:
Vide quid afferat tibi iste nuntij:
Cutem ista radunt:gaudia penitus iacent. *Rasura in luctu.*

VII. Suetonius quoque,in Caligula, mortem referens Germanici, Regulos,inquit,quosdam ferunt barbam posuisse, & vxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.Hæc ille.Atque,vt ad sacros reuertamur scriptores, Ieremias cap.16.*Et morientur*, inquit, *grandes & parui in terra ista : non sepelientur neque plangentur,neque caluitium fiet pro eis,&c.*Ezech. cap.27. Tyri cladem vaticinans,sic ait:*Et radent super te caluitium:& accingentur cilicijs : & plorabunt te, in amaritudine animæ,ploratu amarissimo.Ad nihilum deducta es , & non eris vsque in perpetuum.* Porrò in atrocioribus infortuniis,pedem etiam & totius corporis pilos rasisse veteres,significat Isaias cap.7.*In die*, inquit , *illa radet Dominus, in nouacula conducta,in his,qui trans flumen sunt,in Rege Assyriorum,caput & pilos pedum,& barbam vniuersam,&c.* Hũc Isaiæ locum expressisse mihi Moses videtur,dum ait:Dextera tua percussit inimicum. Quam ais ô Moses, inimicum? Vniuersum populum Ægyptiacum , diuinis iussis rebellem , vnà cum Rege. Quodnam existet percussionis indicium?Rex ipse, & electi principes demergentur in mari.Horum cognati, & vulgus hominum , qui manserint in vrbibus,& oppidis , nuntio cladis audito,radent , vt in graui luctu fieri solet , præ tristitia,crines capitis, & totius corporis. Quod in hoc ipso argumento dum versatur Habacuc,graphicè,& fortè hyperbolicè,ita descripsit: *Percussisti caput de domo impij:denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Hoc est ; adeò grauibus plagis primùm : deinde primogenitorum funeribus,percussisti vniuersam familiam gentis tibi inimicæ,vt cuncta Ægyptiorum capita,quasi vnum,caluitio & rasura fuerint attacta : quin etiam totum corpus à pedibus vsque ad collum attonsum fuit,& pilis nudatum : postquam certo cognitum fuit nuntio, Pharaonis , & totius Aegyptiaci exercitus naufragium : quo dextera Domini,virtutem suam ostendit. *Ortus est*(inquit, sacer historicus,Exod. 12.) *clamor magnus in Ægypto:neque enim erat domus,in qua non iaceret mortuus,&c.*Sunt qui verba Cantici Abacuc citata ad nouissima referunt tempora ; Affirmant, domum impij esse diaboli familiam,cuius caput,quia impietate omnibus præstat,Antichristus est,vt D.Hieronymo placet. Hunc à Christo interfectum iri, 2.Thess.2.indicatur:*Quem Dominus* IESVS *interficiat spiritu oris sui.*Et Isai.11. *Spiritu labiorum suorum,interficiet impium, &c.* Iuxta hanc expositionem, quam multi vt literæ consentaneam complectuntur:asseclæ,potentia & diuitiis pollentes,

Suetonius. *Ierem. 16.* *Ezech. 27.* *Caluitium fieri solitum.* *Isai.7.* *Nouacula conducta apud Isai.* *Exod.12.*

lentes, collum sunt Antichristi: Fundamenta autem quibus hæc domus fulcitur, populi sunt, sine quibus tyrannidem ille suam non poterit exercere. Tu quam malueris interpretationem elige.

Vers. VII. *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam.*

De ira Dei vorantis impios, sicut ignis stipulam.

ANNOTATIO III.

Humani affectus Deo tribuuntur. Psal. 6.

I. Metaphoris & tropis vtitur sacra Scriptura, vt intelligamus modum quo Deus, & bonis fauet, & in impios animaduertit. Hinc illi passim attribuuntur humani affectus, quorum omnino expers est. Hinc Psalm. 6. Propheta, *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Vbi more humano Deum considerat scelerum vltorem, ira nimirum & furore ad supplicium inferendum oppidò commotum. Quia verò pœna cum furore Domini, est intolerabilis, vt Ierem. 10. ait; & ipse, se reum pœnæ agnoscit, non deprecatur prorsus pœnam: sed eam optat, paterna dumtaxat moderatione mitigari. D. Augustinus, & Greg. P. furorem referunt ad inferorum cruciatus: iram verò ad purgatorij pœnam. Chald. Paraph. sic habet: *Ne in furore tuo percutias me*: quamcunque videlicet pœnam à se remoueri efflagitans.

Pœna cum furore illata. Ierem. 10.

D. August. Greg. PP. Chald. paraph.

Ira Dei in modum ignis in peccatores accensa. Hieronym: Ezech. 16. Rom. 2.

II. Hoc verò loco exprimitur supplicium Aegyptiis irrogatum; propositaque causa quæ est ira Dei, in modum ignis, ad inimicorum illius vltionem accensa. Misisti, inquit, iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam. D. Hieronymus in cap. 16. Ezechielis, de diuina ira sic philosophatur. Perspicuum est non esse naturalem iram Dei, sed nostris vitiis clementissimum Deum ad iracundiam prouocari, dicente Apostolo Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & sustentationis, & patientiæ contemnis: ignorans, quia patientia Dei ad pœnitentiam te prouocat? Secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor thezaurizas tibi iram quam Deus naturaliter non habet?* Vnde & in alio loco scriptum est: *Emisisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam.* Quod enim coniunctum est, & in vno corpore copulatum, mitti non potest: Sed illud quod extra corpus est. v. g. lancea, telum, sagitta, gladius, &c.

Basilius.

III. Cum D. Hieronymo concinit D. Basilius: sic enim, ait, diuinæ literæ iram Dei vocant motum illum vltorem in peccatores supplicio dignos: aut certè huic motui subseruientes Angelos, iuxta illud, *Immisisti in illos iram tuam & furorem, immissionem per Angelos malos.* Qui enim fieri potest vt ira & furor mittantur? Addit aliam explicationem D. Basilius literæ accommodatam. Ait enim nomine iræ immissæ, posse notum ventum intelligi, qui & aquam congesserit, & fluxam labilémque naturam compingens, in modum muri stare fecerit.

Euthymius.

Greg. Nyss. Per spiritum furoris, Austrum intelligunt aliqui patres.

IV. Euthymius hunc locum enarrans; Per iram, inquit, à Deo immissam, supplicia, & pœnas intelligit à Deo illatas: vel ipsum etiam Angelum, pœnarum ministrum. Cum Euthymio facit. Greg. Nyss. Per spiritum furoris siue indignationis, hi duo patres, præter pœnam, & Angelum pœnæ administrum, intelligi posse arbitrantur Austrum, qui & aquas congregauit instar muri; vt via filiis Israël aperta ostenderetur ad euadendum; Ægyptiis verò ad interitũ.

Et

Et est qui non videat post irrogatum Pharaoni supplicium, faciliùs absumi supplicio peccatores, quàm stipulam à flammis?

CANTICI MOSIS SECTIO VI.

Vers. IX. *Dixit inimicus, persequar, & comprehendam: diuidam spolia: implebitur anima mea.*

X. *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

XI. *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate; terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*

Pagn. Nihil ferè diuersum habet à vulgata editione.

Vatab. *Hostis dixit, persequar, apprehendam, diuidam spolia: implebitur eis anima mea.*

Vento tuo flauisti, & mare eos operuit: demersi sunt veluti plumbum in aquis vehementibus.

Quis tui similis in diis ô Domine? Quis sicut tu, magnificus. sanctitate, formidabilis laudibus, faciens admiranda.

70. Interp. Vers. 11. ita efferunt: *Quis similis tibi in diis Domine? Quis similis tibi? glorificatus in sanctis mirabiliter gloriosè faciens miracula?*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. PAraphrasis. Hostis, subitam oculis vsurpans aquarum diuisionem; populumque Dei, ad optatum littus, innoxium euadentem; dixit: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, atque hoc modo, tum in Hebræorum punitione; tum in diuisione spoliorum, accensam desiderij mei explebo cupiditatem: Comprehensis autem eis, iniuriam mihi factam haud quaquam condonabo. Districto in eos gladio, grauiter animaduertam. Pauperes & extremè indigentes eos efficiet, & conficiet manus mea. Cæterùm, tu Domine, superbam illorum temeritatem, & insanientis animi elationem, statim declarasti. Immisisti nanque flatum auræ vehementissimum, quo aquis in suam rursus naturam redeuntibus, gurgitibus absorpti sunt: & instar plumbi in vndis furibundè tumultuantibus, momento temporis submersi.

II. *Dixit inimicus, persequar &c.* Inimicus vocatur, vel Pharao Tyrannus; vel Ægyptij, qui exercitum conflauerant contra Israëlitas: idque per synecdochen. Pœnitētia nanque ducti Ægyptij, populum persecuti sunt, cui abeundi fecerant potestatem. Pro *diuidam spolia:* Oleaster legit, *Partiar spolium*, & aduertit verbum *salal*, à quo spolij nomen deriuatur, significare duo; quæ videtur contraposita; nimirum spoliare, & spolium dimittere, seu spoliari. Vtrunque simul fieri videmus.

Ægyptios pænituit facultatis datæ Hebræis abeundi. Oleaster.

Superbi Pharaonis verba cōtra Israëlitas abeuntes.

III. *Euaginabo gladium meum &c.* Gladij euaginationem, ad occisionem simul & spoliationem referri puto, cùm vtrumque optauerit Pharao. Particula

 tamen

tamen, quæ ſequitur, magis ſpoliationem ſignificat. Nam pro *interficiet eos manus mea*: Hebraicè eſt, *Toriſemo* id eſt, *depauperabit*, ſeu *miſeros faciet eos manus mea*. Chal. *conſumet eos manus mea*. 70. Interp. κυριεύσει ἡ χεῖρ μου, id eſt, *dominabitur manus mea*. Caietanus vertit, *faciet pauperes fieri manus mea*: Additque: non perſequebatur eos ad occidendum, ſed ad redigendum in ſeruitutem, vt præcedenti capitulo ſcriptum eſt. Hæc ille. Mihi, hominis irati & furioſi ſermo videtur, qui cupiditatem ſuam variè exponat. Non negauerim tamen inſidiari Pharaonem diuitiis, quas Hebræi exportabant: & hanc fuiſſe potiſſimam cauſam inſequendi fugientes, quod indicat illa particula: *implebitur anima mea*: Nam *Timlaemo naphſi*, ſignificat, *implebitur eis deſiderium meum*; id eſt diuitiis eorum abundabo. Vnde Chald. legit, *ſaturabitur ex eis anima mea*. Oleaſter, *Hæreditate accipiet eos manus mea*. Alij vertunt, *poſſidebit eos*: ſed verbum *Iaras*, videtur ſignificare hæreditare, & exhæredare, ſiue de hæreditate pellere: ſperabant enim Ægyptij fore ſe hæredes illius populi, ideò rectè dicitur, *Hæreditate accipiet eos manus mea*.

Chald. Paraphr. *Caietanus.* *Chald. Paraphr.* *Oleaſter.*

Oleaſter.

IV. *Flauit ſpiritus tuus; & operuit eos mare &c.* Oleaſter legit, *ſufflaſti ſpiritu tuo*, id eſt, vento tuo, ſeu à te miſſo: & *neſſeph*, eſt nebula ſeu flatus nebuloſus. Amplificat ergò Moſes Dei virtutem, quaſi dicat: Quantùlibet potentiſſimus ſit hoſtis, & truculentè ſæuiat, ſolo flatu tuo, ô Deus, omnem illius in mare exturbas elationem.

Deus vno flatu deiecit humanam elationem.

Oleaſter. *Salal id eſt adumbrare.*

V. *Submerſi ſunt, quaſi plumbum, in aquis vehementibus &c.* Hebraicè, *Abſorpti ſunt, quaſi plumbum in aquis fortibus.* Annotauit hoc loco Oleaſter verbum *ſalal* ſignificare idem, quod adumbrare ſeu obumbrare: & verti poſſe: *Adumbrare feciſti eos, aut obſcurari, ſicut plumbum*: quod ſcilicet dum mergitur, obſcuratur & abſconditur. Idem Hebraizans (vt ſolet) admittit hanc verſionem, *Obumbrati ſunt, quaſi cœnum, in aquis vehementibus, ſeu fortibus.* Quæ ſi admittatur, ſignificabitur, Ægyptios, vt lutum aut ſordes, in mare eiectas, in nihilum fuiſſe redactos.

Ægyptij ſicut cœnum eiecti in fluctus.

El nomen fortitudinis.

VI. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? &c.* In Hebræo, *Quis ſicut tu Elim Iehoua? Quis ſicut tu?* Eſt enim *Elim* plurale nominis, *El*, quod ad fortitudinem refertur. Ait ergo, *Quis ſicut tu in diis, Iehoua*, quaſi dicat, nullus; quocunque titulo dij appellentur.

Cur Deus ſit admirandus ſiquis quærat; dicendum eſt quia magnificus in ſanctitate eſt.

VII. *Magnificus in ſanctitate &c.* In Hebræo, *robuſtus in ſanctitate.* Rationem autem reddit cur nullus, qui Deus vocetur, cum vero Deo comparari poſſit. Illi nanque, dum robur ſuum exercent; præ laſſitudine deficiunt, ſi homines ſunt; & inquinationem aliquam contrahunt, ſi autem Angeli ſunt, certam habent & limitatam fortitudinem, & niſi Deo pareant, nihil habent virium. Solus Deus laudari poteſt, quòd robuſtus ſit in ſanctitate. Quippe qui, corporibus ad nutum vtatur, ſine vlla immunditiæ contractione: & abſque vlla vi, quæ illius poſſit obſiſtere fortitudini. Eſt enim ſingulariter robuſtus in ſanctitate: imò ſanctitas libera, atque perfecta mundities.

Deus cur dicatur formidatus laudũ.

VIII. *Terribilis atque laudabilis &c.* Hebraicè, *formidatus laudum*: hoc eſt, qui debet cum formidine, & religioſo timore laudari. Accumulat rationes Moſes cur nullus Deus ſit cum Iehoua comparandus. Solus autem Deus dicitur *formidatus laudum*: tum quia laudes eius ſunt formidini, non ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis, qui præ cæteris creaturis Deum laudant: tum quia

quia à laudantibus est timendus. Vnde Chrisost. laudans B. Virginem: *Visne, inquit, cognoscere, quanto Virgo hac, præstantior sit cælestibus potentiis? Illæ cum timore, & tremore assistunt, faciem velantes suam. Hæc hominum genus, illi offert, quem genuit.* Hæc ille: præferens, vt decet B. Virginem Angelis. Hoc est autem discrimen inter homines & angelos malos, cùm laudantur. Nam angeli mali & homines externo laudum sono contenti sunt: Deus autem etiam cor postulat, à laudatoribus suis, timore perculsum. Illi laudem postulant ab operibus, sæpe vituperatione dignis: Deus non nisi à laude dignis. Cùm autem omnia opera illius huiusmodi sint: in omnibus cum timore laudari vult: ne ea in nos exprobratione vtatur, qua olim in Hebræos vsus est, dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Chrisost. Isa. 6. Beata virgo hominum genus Christo quem genuit, offert. Deus præter vocem corpostulat à laudatoribus suis. Isaias 9.

IX. *Faciens mirabilia &c.* Oleaster: *faciens separata*, id est, quæ ab aliis diis nequeunt fieri. Hæc est tertia ratio, cur dictum sit, *Quis similis tui in fortibus Domine?* Solus enim Deus facit mirabilia, siue, vt legunt 70. Interp. miracula. Patrator enim miraculorum, absolutè & simpliciter solus Deus est. Quicquid autem ab hominibus aut Angelis fit, licèt admirabilitatem habeat, intra naturalis virtutis terminos est. Vera autem miracula, solus Deus facit, cui tota natura ad nutum præsto est. Quòd si à viris sanctis aliquid vltra naturæ vires patratum est: id virtuti diuinæ debet adscribi. Solus ergò Deus patrator omnium miraculorum est, cui omnis subdita est creatura.

Oleaster. Deus patrator miraculorum. 70. Interp. Vera miracula solus Deus facit.

Vers. IX. *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam: diuidam spolia &c.*

Confutari à Deo superborum conatus, Pharaonis supplicium declarauit.

ANNOTATIO I.

I. APtàm furenti regi, & in perniciem instorum incumbenti, orationem Moses attribuit, Persequar, inquit Pharao, & comprehendam: diuidam spolia &c. Nec mirum quod in homines iniuriosus sit, qui Exod. 5. & superbiam intolerandam pretulit, & in Deum blasphemus fuit; sic enim ait: *Quis est Dominus? vt audiam vocem eius & dimittam Israel? Nescio Dominum: & Israël non dimittam.* Quæ potest esse detestabilior arrogantia quàm esse diuini nominis contemptorem. Hoc indicium est hominis in profundum malitiæ demersi. Prou. 18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit &c.* An nomen Dei tetragrammaton, quo fortè vsus est Moses, vt Burgensis ibidem existimat, ignorans, ita locutus est: Fortè, antequam ore blasphemo diceret, *Nescio Dominum: dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Quid si *atheos* erat? Quid si significauit nescire se quisnam esset Deus Hebræorum, qui tanta sibi autoritate imperaret? Certè ingens bonorum temporalium abundantia, & prosperitas diuturna, in causa plerunque est, vt, quis se sibi ad omnia sufficientem esse putans, neget Deum. Hoc timens Salomon, rogabat Deum, ne sibi diuitiarum copiam largiretur, ne fortè parum gratus benefactori suo, in voces aliquando erumperet, Deum ipsum negantes. Hinc Prouerb. 30. ita

Exod. 5. Superbia Pharaonis & Dei contemptus. Prou. 18. Paulus Burgen. Psalm. 13. Abundantia diuitiarū elationem gignit & Dei cōtemptum. Prouerb. 30.

Mediocritas optanda. precatur: *Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus?* Et Dauid, Salomonis pater, de abundantibus nimia rerum quas cupidus animus auidè postulat, copia, ait; *Ideò tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate, & impietate sua.* Iusolescit ergo Pharao, opibus abundans, & pollenti exercitu tumens; ea propter inducitur à Mose furibundè loquens, *Persequar, & comprehendam &c.*

Inductio personæ iratæ. II. Habet inductio personæ iratæ magnam vim ad pernoscendos animi motus, quibus quis afficitur; & ad excitandam expectationem euentus quem sibi ira pollicetur. Ferè enim Deus aliorsum res dirigit atque superbi & iracundi volunt: est apud profanos scriptores exemplum huius artificij: Et in primis illud, quo poëta, sic loquentem facit Iunonem in Troianos, in quorum perniciem multa moliebatur, rabidè furentem, apud Æolum:

Virg. Æn. 1.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosq; penates:
Incute vim ventis submersasq; obrue puppes,
Aut age diuersas, & disiice corpora ponto.

Posteà longè alium exitum rebus turbatis Neptunum attulisse refert poëta diuersum prorsus ab eo quem irata Troianis Iuno machinabatur. Sic Aman *Esther 3.* Esther cap. 3. iracundia in Mardochæum incitatus, quòd illi aulam ingredienti non assurgeret, & honorem genu flexione, vt cæteri, non deferret, multa prius proteruè locutus, in Hebrææ gentis exitium, & sui iactantiam, vt credibile est; à Rege obtinuit literas, quæ missæ sunt per cursores ad vniuersas *Mardochæo crucem paratam, Aman tulit, qui parauerat.* prouincias, vt magistratuum iussu, delerentur omnes Iudæi à puero vsque ad senem. Deus tamen impios superbi hominis, & adorationem sibi affectantis, conatus illusit. Iudæis nanque ab eo periculo liberatis, ipse in crucem, quam Mardochæo parauerat, actus est.

III. Huius diuini moris ratio ea est: quoniam odit Deus in homine, præ cæteris vitiis, superbiam. Alienum est enim ab humanitate superbè agere, *Psalm. 18.* aut sentire. Ideò Psalm. 18. vbi nos legimus, *Ab alienis parce seruo tuo*: in Hebræo est: *à superbis libera seruum tuum*, hoc est à peccatis superbiæ. Postulat *Rabbinorum Interp. Tria peccatorum genera.* enim Dauid remitti sibi, vt Rabbini annotarunt, tria peccatorũ genera: nempe infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ; quæ est tyrannorum vitium, & cæteris grauius. Hæc autem malitia, superbiæ nomine afficitur à Dauide. Significare videtur sacer textus; superbiam, qua ascendere nitimur, peccatum esse *Superbia peccatum est, si naturam spectes, ab homine alienum.* ab homine alienum; & naturæ contrarium. Id autem, quod naturæ contrarium est, violentum censetur, & graue. Bernardus; *Superbia*, inquit, *est velle ascendere.* In ascensu autem, quis non experitur difficultatem? *Hoc opus, hic labor est*, ait poëtarum princeps. Expectet descensum qui solicitè procurat ascen- *Bernardus. Superbia est velle ascẽdere.* sum. Ascendere permittitur superbus, vt deiiciatur. Seruo, cui grauissimam alapam vult Dominus impingere, præcipit, vt buccas inflet; sic Deus permittit, inflationem hominis superbi & diuitiarum famulitiúque tumorem, vt dum attollitur magis deprimatur, & pœna, quæ ad aures omnium cum stupore perueniat, mulctetur. Compulerat in vnum exercitum Ægyptios principes superbus Pharao, & buccas, vt dicitur, ambas inflauerat: sibique triumphum promittens, dicebat: *Persequar, & comprehendam: Diuidam spolia &c.*

Cæte

Cæterum Deus, qui superbis resistit, deiecit hũc tumorem: *currus nãque Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt.*

IV. Huc illud pertinet Psal.28. *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani: & comminuet eas tanquam vitulum Libani, &c.* Cedri, hieroglyphicè superbos significant, qui bis confringendi dicuntur, vt intelligamus duo esse superborum genera. Quosdam enim res temporariæ & diuitiæ, arrogantes & inflatos reddunt: Quosdam res spiritales, & actiones studiosæ. Vtrosque solet diuina vox confringere. Addit Psalmographus: *& comminuet eas tanquam vitulum Libani*, vitulus Libani, Christus est: fuit autẽ Christus despectus à Iudæis, & humiliatus. Deus igitur quosdam superbos omnino confringet: vt Pharaonem, ad perditionem: alios, ad salutem, hoc est ad Christi imitationem. Sic, Paulus cõfractus, & ex Pharisaico tumore, ad Christi humilitatem potenter redactus. Non possunt picturis adhiberi bracteolæ aureæ, nisi omnis flatus submoueatur. Diuina beneficia aureæ sunt bracteolæ, quæ auream reddunt animæ nostræ tabulam. Verùm ornare illam nequeũt nisi omnis superbiæ flatus arceatur. Plutarchus in moral. vtitur egregia similitudine, qua ostendit, nihil virtutis posse in superbis residere. Nam, sicut ab vtribus, necesse est, quicquid aëris intus latet, foras emittere, vt bonus liquor infundatur; sic ab animis euomendus est omnis superbiæ flatus, vt suus virtuti relinquatur locus.

Psalm.28. *Cedrus, hieroglyphicum est superbi.* *Duo superborum genera.* *Superborum tumor cõprimitur à Deo.* *Quidam confringuntur ad salutem, vt Paulus.* *Plutarch.* *In superbis nihil residere virtutis potest.*

V. Expendit D. Chrysost. homil.3. de verb. Isaiæ: *Vidi Dominum, &c.* tom.1. verba illa 2. Paralip.26. & 4. Reg.15. *Elatum est cor Oziæ, &c.* Multùm huic Regi nocuisse, post egregias, quas susceperat virtutis actiones, ab animo flatum superbiæ, insidiose se insinuantem, non depulisse: audi Chrysostomum: *Regnauit*, inquit, *Ozias annis quinquaginta; cumq; initio cum laude gessisset principatum, pòst in scelera prolapsus est. Cùm enim altiores spiritus sustulisset, quàm pro sua dignitate; principatum inuasit sacerdotij: tantum malum est arrogantia, quæ persuadet vt quisque semet ignoret: pòstque multos labores, virtutis thesauros exhaurit.* Hæc ille. Deinde, id subiungit, quod maximè ad detestationem huius vitij annotandum est. *Cætera*, inquit, *mala, nobis negligenter agentibus, solent exuperare. Hoc autem ipsis rectè factis nostris adnascitur. Nihil enim perinde gignit superbiam, vt bona cõscientia (intellige, ex occasione & accidẽti) nisi aduigilemus.* Vnde Luc.17. Christus sciens quòd post benefacta, nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis: *Cùm feceritis omnia, dicite, inutiles serui sumus, &c.* Itaque iuxta hanc doctrinam, cùm nos pòst benefacta pulsauerit superbiæ motus; fores illi occludamus, verbis Christi: Dic; ne metuas, ait Christus; non ex tuo iudicio fero sententiam. Nam si tu, te ipsum dixeris inutilem, ego te, vt vtilem coronabo. In forensibus iudiciis, post accusationem, & criminum confessionem, restat mors: Cæterùm apud diuinum tribunal, post accusationem, & confessionem criminum; datur corona. Vnde Eccles.7. *Ne iustificaueris te ipsum in conspectu Domini.* Dolet D. Chrysost. non audisse hanc doctrinam Regem Oziam, sed irruisse in templũ, vt thymiama incenderet; ac, ne sacerdote quidem prohibente, abstinuisse. Iam supplicium superbo illatum videamus. Immisit illi Deus lepram in fronte; hoc modo impudentem faciem puniens, docénsque illum quòd hoc esset Dei tribunal, & quòd illi bellum esset non aduersus homines sed aduersus Deum.

Chrysost. *2. Paral.26.* *4. Reg.15.* *Chrysost.* *Superbia virtutis thesauros exhaurit.* *Gignit superbiam bona conscientia, nisi aduigilemus.* *Luc.17.* *Post accusationem proprij criminis datur venia in Dei tribunali, non in forensi.* *Eccles.7.* *Chrysost.* *Lepra faciem impudentem Deus percussit.*

VI. Ne quis verò cogitet irrepsisse superbiam Oziæ, antequam sacerdotij munus vsurparet, audi quid dicat Scriptura 2.Paral.26. *Et fecit*, inquit, *Ozias quod rectum est in conspectu Domini*. Quæ verba repetens D.Chrysost. sic ait: *Hoc testimonio magnam illius virtutem declarauit*. Non enim modò fecit, quod rectum erat, sed fecit in conspectu Domini: non apud homines ostentās, quemadmodum apud Iudæos faciebant illi, qui ante eleemosynam tuba canebant, & ieiuniis facies suas obscurabant: verùm post toleratos labores omni præmio frustrabantur, &c. Docet igitur nos Oziæ exemplum, vt omnem superbiæ flatum vsque ad mortem, ne sperato æternæ vitæ præmio fraudemur, à nobis remoueamus. Compertum namque est, non solùm Nabuchodonozores, Pharaones, & similes, ob superbiam, tanquam cedros libani, diuina virtute cōfringi, sed etiam iustos, qualis erat Ozias, Ezechias, & Dauid: quia adblandienti gloriolæ aurem dederunt, pœnam diuinitus irrogatam interdum experiri. Ozias quidem in conspectu Domini, quod rectum erat, faciebat. Quî factum est igitur, vt post vitam tam perfectam, supplantatus sit, & conciderit? Respondet D.Chrysost. *Homo erat, res ad peccandum lubrica, & ad malitiam propensa, &c.* Ne igitur, dum vitæ stadio, ad præmium beatæ patriæ per bona opera decurrimus, similis pœna nobis infligatur; à Deo, cautè viuentes, auxilium efflagitemus, quo omnem superbiæ auram, Christum humilitatis magistrum spectantes, confutemus.

2.Paral.26. Chrysost. Ozias, antequam vsurparet officium sacerdotis, vir bonus erat.

Iusti si vano fastu tumescant, mox cōfringuntur & corripiuntur, vt resipiscant. Chrysost. Homo res ad peccandum lubrica.

Vers. X. *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Diuina vltio, sanctorum precibus excitata, superbos persequitur.

ANNOTATIO II.

I. QVa facilitate Deus superbos puniat, expressit Moses, dum post commemorationem magnifici apparatus, Pharaonis & principum, qui illum equitatu & pedestribus copiis insolescentem comitabantur, ait: *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare*. Quasi dicat; quantus, quantus sit hostis, & quamlibet in nos sæuiat, solo flatu tuo ô Deus? omnem illius in mare deiicis elationem. Hoc sanctis gratum est. Orant enim Deum, vt superbos de fastigio insanæ elationis deiiciat. Vnde Iob 40. *Disperge superbos in furore tuo, & confunde eos: & respiciens, omnem arrogantem, humilia*. Et post pauca: *Absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam, &c.* Vbi dispergendi verbum, emphasim habet. D.Thom. *Disperge* inquit, *vt in vnum conuenire non possint*: vt fiat allusio ad diuisionem eorum qui turrim Babel ædificarunt. Aptiùs fortasse interpretabitur, qui dispergendi verbum ad modum retulerit, quo Deus superbos, nunc tempestate in mari: nunc bello, in terra: iam vbique aliis modis, ne insolescant, disturbat. Vnde Isaias cap.30. *In comminatione*, inquit, *furoris & flamma ignis deuorantis, allidet. Vel*, vt legūt 70. Interp. *fulminabit: hoc est, partitis fulminibus, disperget in turbine, & lapide grandinis*. Idem Propheta cap.33. commemorans, quo pacto

Solo flatu Deus superbos deiecit.

Iob 40. Explicatus. Quid sit dispergere superbos. D.Thom.

Isaias 30. 70.Interpr. Isaias 33.

pacto Deus è cœlo disperſit Aſſyrios,ſic ait: *A voce Angeli fugerunt populi; & ab exaltatione ſua diſperſæ ſunt gentes.* Quæ verba ſatis explicant Dei potentiam, qua de cœlo tacta hominum ſuperbia expugnatur. Videtur autem diſpergendi verbum,neſcio quid bellicum ſignificare. *Expurgat*, inquit, regius vates Pſ.67. *Deus,& diſſipentur,ſiue diſpergantur inimici eius,hoc eſt ſuperbi.* Subiungit Iob: *in furore tuo*, Hebraicè,*in naſo tuo*,ſeu *in facie tua*; quaſi dicat, vultu tantùm indignationem oſtendente,ſuperbos diſperges, & diſſipabis; quod exprimitur ſequente ſententia: *Reſpiciens omnem arrogantem humilia*; hoc eſt:incurua, deiice, & proſterne; ſic Habacuc 3. *Aſpexit, & diſſoluit gentes: ſtetit & menſus eſt terram.* Diſperſis enim diuinitus ſuperbis Hebræorum hoſtibus,libera & expedita Dei populo relicta eſt terra; vt illam diuidere poſſent tribus, & inter ſe partiri. Enimuero, vt dicitur Pſalm.33. *Vultus Domini ſuper facientes mala,vt perdat de terra memoriam eorum.* Solo enim vultu ſuo Deus, cùm vult, pauore immiſſo diſpergit ſuperbos.

De cœlo expugnatur humana ſuperbia. — *Pſalm. 67.* — *Habac. 3.* — *Pſal. 33.*

II. Addit Iob. *Inſpice cunctos ſuperbos,& confunde.* 70.Interp.legunt,*contrumpe in loco ſuo.* Caietanus, hæc verba refert ad pœnam ſuperborum dæmonum: Sed commodiùs ad pœnam extendi ſolent, omnium qui vel domibus & parietibus incluſi,cœlo iniurij ſunt.Hi enim in loco ſuo: id eſt, vbicunque fuerint,cruciabuntur.Greg.Magnus interpretatur,*in loco ſuo*, id eſt, in ipſa ſuperbia;ſic enim ait:*In loco ſuo conteritur*,quia in ipſa ſuperbia,qua eleuatur, opprimitur.Vnde Propheta ait:*Deiecisti eos dum eleuarentur.*Non ait, poſtquam eleuati ſunt:quia falſa contingit gloria exteriùs eleuari;Et ſua illis in pœnam vertitur culpa, &c.

Iob. — *Oratio contra ſuperbos.* — *Caietanus.* — *Superbi etiam cùm ſoli ſunt, à Deo corripiuntur.* — *Greg. PP.*

III. Quod ſequitur: *Abſconde eos in puluere ſimul & facies eorum demerge in foueam*,quid aliud eſt quàm precatio,vt nimirum Deus obſcuros reddat, & ignominia ignobilitatéque afficiat ſuperbos? Sic enim vt D.Thom. interpretatur,abſconditi erunt. Alij,ad mortem referunt ſententiam, quæ eſt extrema ſuperbiæ & humanæ gloriæ meta. Sic quærenti Prophetæ Pſalm.64.*Vſque quò peccatores gloriabuntur?* dictum eſt, *donec fodiatur peccatori fouea.* Et quidem pulueris & foueæ nomine, ſepulchrum,& mortuorum conditio paſſim ſignificatur. Pro,*demerge*,in Hebræo eſt,*alliga,& inuolue*: hoc eſt facies eorum alliga & inuolue. Quod licèt plauſibiliter referatur ad ſindonem,& veſtimentum, quo demortui corpus conſtringitur; ſudario ſcilicet inuoluente faciem, & manus inſtitis, aduerto tamē hîc cuiuſdam extremæ confuſionis circumlocutionem. Nam ad deprimendum eleuatum ſuperbi cor, & oculos alta ſemper aſpectantes,vult Iob,vt Deus ita illum deiiciat, vt præ confuſione, non audeat oculos ad cœlum leuare,ſed latebras quærat,& foueas, quæ excogitatæ ſunt propter fulmina,& cœlorum iniurias,vt Seneca annotauit.

D.Thom. — *Pſalm.64.* — *Demergere, Hebraeis explicatur alligandi verbo, & inuoluendi vt fit demortuis.* — *Mors ſuperbos demergit,alligat,inuoluit.* — *Seneca.*

IV. Miſericordiæ ſummæ eſt quòd Deus permittat vt peccatores, ſeſe immoderatè efferentes, & præ inſita leuitate inſoleſcentes, in fœda labantur vitia:quò vel ſic erubeſcentes,& confuſi, humilientur, & reſipiſcant. Quod poſt Baſil.& Auguſt.annotauit D.Greg.lib.11. Moral. cap.8. in illa verba Iob cap.12. *Balteum regum diſſoluit, &c.* Qui ſuos, inquit,motus bene regere ſciūt, non immeritò reges vocantur.Sed cùm de continentia, elatione mens tangitur;plerumque Deus hanc,in immunditiam operis cadere permittit, &c. Hoc ipſum inſinuauit Dauid Pſal.118.dicens: *Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem*

Pſal.118.

D. Thom. *quitatem fecerunt in me.* Eandem doctrinam tradit D.Thom.22.q.162.a.6.ad 3. Nam sicut qui dissutas habet vestes, aut sordidas, ob iniuriam, diu pannosus, & sordidus incedit, donec aliquis vestem ingenti scissura deformat; vt, qui exiguam scissuram non curabat, remedium afferat ingẽti deformatione: sic *Deus, superbum, qui suas non agnoscit sordes, permittit fœdo aliquo libidinis, aut alterius culpæ lapsu inquinari:* vt tandem, vtilitatem vitij considerans, & erubescens, ad se redeat, & humilietur: Sic illud Apoc. 22. intelligunt aliqui: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc:* nempe, vt qui spirituales sordes præ incuria non cernebat, in carnales turpiter lapsus, vilitatem peccati agnoscens, tandem resipiscat. Aliqui tamen vt D.Thom. Lyra, & Ribera noster, ad libertatem prædicta verba referunt, cuius vsum Deus peccatoribus permittit vsque ad mortem. D. Ambros. quem citat Gloss. comminationem ironicam intelligit, illi similem, qua pater iratus filiis ait à ludo illos deterrens: *Ludite adhuc.* In quibus verbis, filij minas intelligunt.

Similitudo.

Permittit Deus superbos labi in vitia vilissima, vt resipiscant. Apoc. 22.

August. Psal. 118.

V. Deiiciant ergo superbi fastosam arrogantiam: audiántque Augustinum enarrantem illud Psalm. 118. *Increpasti superbos; maledicti, qui declinant à mandatis tuis,* aduertit enim, non dixisse Prophetam, qui declinauerunt, sed, qui declinant. Nam multi declinauerunt, qui tamen postea per veram pœnitentiam à maledictione liberati, benedictionem Domini sunt consecuti. Qui autem declinant à lege Dei, omnino sub maledicto sunt. In fabulis est, gigantes, qui voluerunt Ioui bellum inferre, montes montibus imponentes: in ipso conatu, fulminibus territos, pœnas suæ dedisse superbiæ. Lyricus vindictam in omnem impietatem considerans, ait:

Horat. lib. 3. Ode 2.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Sinit Deus Pharaonem conscribere milites, copias parare, equitatus instruere, & magnificè loqui contra Dei populum. *Persequar,* inquit, *comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, &c.* Non tamen diu patitur illum impunè abire. Nam cùm omnibus spoliis Hebræorum potiri se posse, facilè existimaret, & electis principibus sui exercitus, id significaret arroganter: *Flauit,* inquit Moses, *Spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Vers. X. *Submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus.*

Peccatores præsertim superbi plumbo comparantur.

ANNOTATIO III.

Origenes. Peccatores vt plumbum graues. Iusti non habent pondus peccati. D. Petrus ambulat super aquas. Matth. 14.

I. ORigenes, peccatores, inquit, graues sunt: inde est ergo, quod iniqui demersi sunt, sicut plumbum in aqua. Sancti autem non demerguntur, sed ambulant super aquas, quia leues sunt & peccati pondere non grauantur. Ambulauit saluator super aquas. Ipse enim peccatum nescit. Ambulauit & discipulus eius Petrus, licèt paululum trepidauerit. Non enim talis erat ac tantus, qui nihil omnino de specie plumbi in se haberet admixtum: habuit, licèt patum: propter quod dicit Dominus ad eum, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Idcircò

circò igitur, qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat: vt efficiantur omnes aurum: quia aurum bonum terræ illius esse dicitur, quam habitaturi sunt sancti.

Sancti auro comparantur in igne purgato.

II. Ignem Origenes vocat tentationem, in qua sedens Dominus, tanquam in conflatorio, purgat filios Iuda, vt aurum purum fiant. Omnes igitur peccatores plumbei sunt, vt Origenes comminiscitur. Quod in supplicio superbis illato, cernere est. Nam, vt plumbum fertur impetu ad ima pelagi vada: sic superbi ad imas inferorum lacunas. Leuitas est summa in superbis, qua vel ad ipsum cœlum videntur efferri: ea tamen leuitas, dum supplicium illis Deus infert, in plumbum conuertitur. Quare meritò superbia talento plumbi significari potest, quod ab impiis portatur, vt illis aliquando supplicio sit. Vnde Zacharias cap. 5. *Ecce talentum*, inquit, *plumbi portabatur: & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* Hæc mulier, quæ iniquitas in litera appellatur, licèt D. Hieronymo sit impietas, vel idololatria; aptè dici potest etiam superbia. Hæc verò sedebat in medio amphoræ, quia aliquid intra amphoram, aliquid extrà habebat. Ita scilicèt, vt neque amphora eam totam caperet, neque ipsa amphoram totam occuparet. Non capit amphoræ mensura tantum tumorem. Iam vide supplicium insani tumoris & proiecit eam, scilicet Angelus, in medio amphoræ, hoc est, conclusit illam intra amphoram, ne supernè ventoso extaret paratu; & intra exiguitatis suæ mensuram eam coërcuit.

Origenes.
Ignis tentationem significat, qua Deus suos probat.
Superborum leuitas summa.
Zachar. 5.
Hieronym.
Superbia in angustiora spatia concluditur, in pœnam tumoris.

III. Addit Zacharias: *Et misit massam plumbi in os eius:* hoc est, mulieris; vt quidam volunt, vel amphoræ, vt placet Lyrano. Hac immissione plumbi in os, significatur, nulla ratione permitti à Deo superborum conatus vltrà progredi: pro *massa plumbi* est in Hebræo, *lapis plumbi*; vt intelligas, quibus ponderibus ad inferos trudantur superbi, postquam intra amphoram, hoc est, suæ curiculæ mensuram, conclusi sunt: vel, si mauis, intra mensuram sepulchri: hic enim, ore, plumbea massa oppilato, vel lapide plumbeo, silent miseri, qui mundum viuentes clamoribus implebant. Vide Alexandri Magni tumorem, cui mundus erat exiguus, quò reciderit. Audi Iuuenalem.

Zachar. 5.
Lyranus.
Agnoscũt superbi intra mensuram suæ exiguitatis à Deo positi, suã vilitatem.
In sepulchro fastus omnis detumescit.
Iuuenalis.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis;
Æstuat infelix angusto limite mundi;
Vt Gyara clausus scopulis, paruaque Seripho.

Deinde addit,

Cùm tamen à figulis munitam intrauerit vrbem;
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

IV. Non ergo mirum quòd à Mose, descensus Pharaonis, & superbi exercitus, in pelagi profunditates; lapidis & plumbi in aquam coniecti descensu exprimatur. Sicut enim in aëre cunei fulminis generantur, & lapidosæ grandines, quæ subitæ procellæ ad terram impetu deferuntur: ita in corde superborum, in quibus quidquid est, aër est; plumbei gignuntur lapides, quibus in terram, ad sempiterna supplicia damnatorum, eunt præcipites. Væ illi, de quo Iob ait, cap. 15. *Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Is nanque submergetur cum Pharaone, quasi plumbum in aquis vehementibus;

Similitudo.
In corde superbi quidquid est, aër est.
Iob cap. 15.

tibus; vt discant homines diuinam reuereri maiestatem, & prouidentiam. Agnouit hanc Dei virtutem Lyricus Poëta lib. 1. ode 34. sic enim ait Epicuri neglecta schola:

Horat. lib. 1. Car. od. 34.

Parcus Deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientia
Consultus erro: nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namq; Diespiter,
Igni corusco nubila diuidens
Plerumq; per purum tonantes
Egit equos, volucremq; currum.
Quo bruta tellus, & vaga flumina
Quo styx &c.
Concutitur. Valet ima summis
Mutare: & insignem attenuat Deus,
Obscura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hic posuisse gaudet.

Vers. XI. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui?*

Admiratio diuinæ potentiæ, cui nihil simile est.

ANNOTATIO IV.

Epiphonema.

I. Est in his verbis singularis energia, & quædam veluti rei narratæ cum interrogatione acclamatio; quam figuram Epiphonema Græci vocant. Postquam enim Moses Dei magnificentiam & singularem virtutem, quibus potuit verbis, exaggerauit, facta commemoratione victoriæ de Pharaone & Ægyptiis diuinitus reportatæ: Deum omnibus regibus & principibus, qui interdum dij vocantur, antefert: & cum admiratione illius sanctitatem magnificam, & formidandam in puniendis hostibus virtutem, ad cœlum vsque laudibus extollit. Facta Mosis miranda Gregor. Magnus in expositione super lib. 1. Reg. 2. cum factis Christi conferens, sic ait, *Quidquid virtutis Moses ostendere potuit, Dominus, non ipse, fecit. Iesus autem omnia, quæ mirè fecit, propria virtute exhibuit: quia Dominus etiam Mosis fuit. Non enim Moses populo per desertum gradienti, sed Dominus manna pluit.* Hæc D. Greg. cui concinit Regius vates Psalm. 74. Non Mosen laudibus efferens, sed diuinam virtutem agnoscens, inquit: *Fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos. Interrupit mare, & perduxit eos: & statuit aquas quasi in vtre, &c.* Dominus autem Iesus, fortis incomparabiliter, non in aliena virtute apparuit, sed in sua: vnde & ex se ipso potens, paraclytico imperans, ait, Luc. 5. *Tibi dico, surge.*

Greg. PP. 1. Reg. 2.

Psalm. 74.

Luc. 5.

Origenes. Omnis vis, cõparata cũ diuina instar est pictura.

II. Origenes quoque Dei potentiam, & virtutem, hoc loco comparat rebus à Mose cum admiratione gestis; eamque viuam vocat: vt ex hac phrasi constet, quancunque aliam virtutem instar esse mortuæ picturæ, si cum diuina comparetur. Non simulacris gentium (inquit Origenes) comparat Moses Deum, nec dæmonibus, qui falsò sibi nomen deorum asciscunt, sed dicit, illos

illos Deos, qui per gratiam, & participationem dij appellãtur, secundùm illud Psalm. 81. *Ego dixi, dij estis.* Et Psal. 80. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Sed hi, quanuis capaces sint Dei, & hoc nomine per gratiam donari videantur: nullus ei similis in potentia, aut natura est. Quod autem dicitur; similes ei erimus: hæc similitudo, non ad naturam, sed ad gratiam reuocatur; sicut pictura est similis ei, cuius imago in ipsa exprimitur, quantùm ad gratiam, sed longè dissimilis quantùm ad substantiam. Illa enim species carnis est, & decor viui corporis: ista colorum fucus, & cera tabulis sensu carentibus superposita. *Nullus ergo in diis similis Domino: inuisibilis scilicet, incorporeus, incommutabilis, sine initio, & sine fine. Nullus creator omnium, nisi Pater per Filium, & in Spiritu sancto omnia sanctificans.* Hæc Origenes.

Psalm. 81.

Nihil simile est dei natiuitatem... [illegible]

III. Similis admiratio est diuinæ potentiæ, & clementiæ apud regium vatem, Psalm. 8. vbi ille Dei magnitudinem deprædicat à miris operibus, quibus in cœlo passim, & in terra declaratur. Inscriptio Psalmi, ita habet: *In finem pro torcularibus.* In quibus verbis, quoddam musicum instrumentum, nomine torcularis, doctores Hebræi intelligunt, quod in fonte dicitur *Gittih*, voce gallica, vt Genebrardus ait, *guiterne.* Cernitur in hoc Psalmo mira Epistrophe, seu potiùs elegans circulus: dum in eodem versu absoluitur, à quo cœperat initium, quod huiusmodi est: *Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Cernitur & Dei magnificentia, à qua in primis laudatur, in largiendis homini liberalitate summa beneficiis, & præsertim Christo, qui hominum caput est, & Angelorum. Vide August. super hunc Psalmum, tom. 8. vbi torcularia interpretatur Ecclesias toto orbe diuisas, in quibus purgantur vuæ, hoc est, fideles à vinaceis & fæce infidelitatis, & vitiorum, vt cum Christo regnare possint in regno, vbi ille dixit, se habiturum vinum nouum. *Vina*, inquit August. *recondet in apothecis: vinacea verò pecoribus projiciet.* Sunt & alij Psalmi, in quibus Rex Propheta totus est in admiratione, totus in laudibus Dei decantandis.

Psalm. 8.

Epistrophe.

Christus hominum caput est, & Angelorum.

August.

Torcularia Christi sunt Ecclesiæ.

Maiestas nominis Dei.

IV. Quid, quòd ipsum Dei nomen, totum admiratione dignum est? Iehoua, quod hîc ponitur, Deus bone? quam maiestatem, & admirabilitatem habet? Quis similis tibi ô Domine, si vel nomen tuum proferatur? Hoc nomen subest, vt suprà annotauimus, in illis verbis Exod. 6. *Ego Deus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum, Adonai, non indicaui eis, &c.* Decem Dei nomina in Scripturis vsurpata, & ab Hebræis notata refert D. Hieronym. in Epistola 136. ad Marcellam. Primum, & vltimum hîc habes, *El*, & in plurali *Elim*: significátque fortitudinem. Decimum est Tetragrammaton, quod ineffabile putant; & his literis scribunt Hebræi, *Iod, He, Vau, He.* Hoc nomen non manifestasse se Patriarchis, sed primum Mosi in rubro indicat Deus, dum ait, *Et nomen meum non indicaui illis:* Quasi dicat, manifestaui me quidem Patriarchis, ante te, ô Moses, ea ratione, vt sum fortis, omnipotens ad omnia patranda, &c. Non tamen perfectissimo modo illo, quo sum cognoscibilis à mortalibus, nomine quadrilitero, ipsum esse subsistens, independens, & infinitum significante, &c. Hinc obiter colligi potest, præstantiorem Dei cognitionem habuisse Mosen, quàm tres illos Patres: quod aduertit Greg. Magnus, homil. 16. super Ezech. Nobiscum consentiunt Lyranus, Abulensis & Caietanus, dum aiunt: nomen Tetragrammaton,

Hieronym.

Decem Dei nomina.

Deus indicauit Patriarchis seipsum nomine fortitudinis, non autem nomine, quo perfectiori modo cognoscibilis est.

Moses præstãtiorẽ Dei cognitionem habuit quàm Abrahã &c.

Greg. PP.

Lyranus.

Abulensis.

Caietanus.

ton, licèt quoad vocem, & confusam quandam notitiam, vsurpatum fuerit à Patriarchis: tamen quoad claram cognitionem rei per illud significatæ, non ipsis, sed Mosi primùm fuisse reuelatum; vnde Theodor. q. 15. in Exod. sic ait, Quid nam hoc est? *Et nomen meum*, Dominus, *non indicaui illis*? ostendit his verbis Deus quanto honore, quantáque beneuolentia sit Mosen persequutus. Nam, qui Patriarchas celauerat nomen suum; hoc ipsum aperuit Mosi. Dixit enim illi: *Ego sum qui sum &c.*

Theod.

V. In Hebræo pro *in Deo omnipotente*, est in *El, Sadai*, hoc est, *in forti, victore.* Et pro *& nomen meum Adonai*, siue, *Dominus*, vt legit Theodoretus, *non indicaui eis*, est: *Et nomen meum, Iehoua, non fuit notum ipsis.* Simplex expositio videtur illa quæ habetur in Schol. sup. Caiet. Ego apparui Patribus insignis, victoriis &c. Nunquam tamen ea familiaritate cum illis sum vsus, vt nomen meum illis dicerem, sicut tibi. Nominis enim manifestatio ore proprio facta, beneuolentiæ signum est. Vide quæ annotauimus supra versu 3. huius Cantici. Dicat ergo Dauid: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum?* Et Moses exclamet: *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? &c.*

Scholiastes Caietani.

Manifestatio proprij nominis est beneuolentiæ signum.

CANTICI MOSIS SECTIO VII.

Vers. XII. *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.*

XIII. *Dux fuisti in misericordia tua, populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.*

Pagn. *Extendisti dexteram tuam, deglutiuit eos terra. Duxisti in misericordia tua populum hunc, quem redemisti: duxisti in fortitudine tua ad habitaculum sanctitatis tuæ.*

Vatab. *Extendente te dexteram tuam, deglutiuit eos terra. Duxisti tua bonitate populum istum, quem asseruisti: duxisti tua fortitudine ad habitaculum sanctuarij tui.*

70. Interp. *Extendisti dexteram tuam; absorbuit eos terra: Deduxisti iustitia tua populum tuum hunc, quem redemisti: aduocasti in fortitudine tua, in diuersorium sanctum tuum.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. Paraphrasis, Quis similis tibi est, ô Domine? Nullus profectò est. Siue magnificentiam considero, siue potentiam tuam Hebræis fauentem, & perimentem Ægyptios, omni te laude dignissimum agnosco. Tu enim extendisti manum tuam ad vltionem hostium tuorum. Moxque perinde illos mare absorbuit, ac si viuentes, repente patefacto hiatu, à terra fuissent deuorati. Populo insuper, quem ex Ægypto redemisti, per columnam nubis, & Angelum tuum, te præbuisti ductorem. Atque ex his factis, quibus te Israëlitico populo benignum & fauentem hactenus ostendisti, haud dubiè innotescit quòd eundem singulari fortitudine non solùm proteges, sed etiam instar matris,

matris, dilectum filium in vlnis suis gestantis, ad terram ei promissam deduces, quam tibi ad inhabitandum, vt sit sanctuarium tuum, elegisti.

II. *Extendisti manum tuam.*

Similitudine extensionis manus, describitur operatio, qua Deus Ægyptios submersit, vt intelligamus, ea facilitate hoc Miraculum à Deo editum fuisse, qua aliquis manum ad vsum motus soliti extendere posset.

Extensione manus diuina supplicium hic significatur.

III. *Et deuorauit eos terra.*

Oleaster legit, *Absorbuit eos terra.* Non tamen videtur aliquibus rectè interpretari hunc locum, dum ait, declarari his verbis aliquid, quod antea non fuerat declaratum, nempe fuisse Ægyptios à terra absorptos. Enimuero, si Caietano, & iis qui cum illo faciunt, aures damus, sola hîc cernitur metaphora deglutientis. Aqua quippe, tanquam guttur & fauces habens describitur, dum in fonte dicitur, deglutiuit eos terra. Id enim exprimitur quod demersis in aqua hominibus accidit, videlicet, vt non antè enatent è terra, ad quam defixi iacent, quàm fel crepuerit. Sensus igitur est: Mox vt manum tuam extendisti, deuorati sunt impij à fluctibus, & ad imum vada infixi, à terra quodammodo absorbentur.

Oleaster.

Caietanus.

Quo modo à terra deuorati sint Ægyptij. Cadauera non antè eijciuntur ad littus, quàm fel crepuerit.

IV. *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti.*

Vatablus, & Oleaster vertunt, *duxisti.* Caietanus aduertit iuxta Hebræa, reperi hîc eandem dictionem, quam exponit vulgata editio, dum ait, *dux fuisti*; Hebrææ autem dictionis significatio, ad agendum, & ducendum refertur: eo nempe modo quo ducimus aliquod animal sine violentia. Intelligitur autem, non perfecta sed inchoata deductio redempti populi, non pecunia, sed miraculis, ad terram promissionis. Terra autem promissionis, appellatur habitaculum sanctum Dei: eo quòd ibidem habitauerit Deus, in venerabilibus, & præcipuis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob; illisque posteritatem ibidem, sibi ad obsequium religiosi cultus præsto futuram, promiserit. Verbum, *nabal*, propriè significat sustentare. Vnde, pro, *portasti*, rectè verteret, qui diceret, *sustentasti eos*, ne scilicet caderent, *in fortitudine tua.*

Vatab. Oleaster. Caietanus.

Terra promissionis cur dicta sit habitaculum Dei?

V. *Ad habitaculum sanctum tuum.*

Hebraicè: *vsque ad habitaculum sanctitatis tuæ.* Oleaster totam sententiam ita effert. Ipsi quidem imbecilles erant ex se: sed à fortitudine tua sustentati sunt, vsque ad habitaculum sanctum tuum. Dubitari meritò hîc potest, quodnam tabernaculum intelligatur hisce verbis: *Sustentasti eos*, siue *portasti eos, vsque ad habitaculum sanctitatis tuæ.* Mihi ad templum, quod Hierosolymis erat erigendum, referenda hæc oratio potissimùm videtur; ac si dicat: portasti, siue deduxisti eos ad locum, in quo sanctitatem tuam, non mobiliter, vt in Mosaico tabernaculo, sed cum stabilitate habitare disposuisti.

Oleaster. Fortitudine Dei imbecilles Iudæi fulciuntur, vsque ad sanctuarij locum ducti. Templũ Hierosolymis erigendum prædicitur à Mose.

70. Interpret. pro, *Et portasti eum in fortitudine, &c.* legunt: *Aduocasti in fortitudine tua in diuersorium sanctum tuum.* Euthymius sequutus hanc versionem, Hierosolymitanum templum & ciuitatem intelligit; atque in verbo præteriti temporis, rei futuræ, more prophetarum, contineri vaticinium. Sanè res ipsa ostendit, Deum elegisse Hierosolymitanum templum, tanquam diuersorium, non autem tanquam sedem stabilem. Siquidem templo & vrbe illa dirutis, Ecclesiam sibi elegit: in qua non ad tempus, vt cum Iudæis in diuersorio, sed in sempiternum, hoc est, ad finem vsque mundi permanebit. Adde, redemisse

70. Interp. Euthymius. Templũ Hierosolymitanũ eligitur tanquam diuersorium, non tanquam sedes stabilis.

Deum populum suum, quando de Ægyptiaca seruitute eum asseruit in libertatem: ad spem illius futuræ redemptionis, qua genus hominum à captiuitate peccati, & diaboli, in veram libertatem, morte & sanguine Messiæ erat vindicandum.

VI. Sic ergo commendat Moses Deum, à clementia erga populũ suum: quasi dicat: & si extendisti dexteram tuam, & potentissimè deiecisti Ægyptios in mare, perinde ac si terra ipsos subitò deglutisset: dux tamen fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti. Quòd enim Ægyptios deieceris in interitum, seueritatis est: clementiæ verò, quòd populum tuum liberaueris. Vbi nostra versio habet: *dux fuisti in misericordia*. 70. Interpr. habent: *deduxisti in iustitia, &c.* vt & iustitiæ seueritas exprimatur in Ægyptios exercita; & misericordia in Hebræorum auxilium & fauorem propensa.

70. *Interp.*

Verſ. XII. *Extendisti manum tuam, &c.*

De extensione diuinæ manus, cùm ad puniendum; tum ad miserendum.

ANNOTATIO I.

Greg. Nyss. I. GReg. Nyssenus ita legit: *Extendisti dexteram tuam, & absorpsit eos terra.* Duo autem notat. Primùm, diuinæ manus extensionem contra rebelles Ægyptios, vt supplicium illis infligeret. Deinde, miraculum, quo credit, non vt Oleaster, deuoratã fuisse à terra, quæ erat sub aquis, Ægyptiorum corpora (id enim à paucis conceditur,) sed à terra littorali. Postquam enim à fluctibus hausta sunt: ad terram, in qua filij Israël erant, fuisse ait eiecta: tum vt cadauerum spoliis ditescerent; tum ne Hebræi crederent, ludibrium esse oculorum quod videbant. Denique, vt securi intuerentur corpora illa, quæ vel mortua eos territabant, terræ prodigioso hiatu absorpta: sicut accidit aliquibus, qui iustè à Deo terrificum in modum puniti sunt. Cur autem id fecerit Deus, eleganter explicat Gregor. Nyssenus: *Quæ olim*, inquit, *manus contracta erat, ob tolerantiam, & bonitatem, & patientiam, extensa est contra Ægyptios.* Hanc enim pro nihilo habentes, & in melius progredi nolentes, thesaurizarunt sibi ipsis iram in die iræ. Cæterùm terram eos absorbuisse, inquit, voragine facta, postquam à mari ipsi obruti fuerunt, & à filiis Israël spoliati. Primùm, Deo volente, filiis Israëlis persuadere eos penitus necatos esse, in conspectu ferente cadauera: fecit, vt ea spoliarent, ne putarent, per imaginationem ea quæ acciderunt, facta esse. Deinde, rursus in eorum oculis, illa cadauera fecit vt euanescerent, absorpta à terra; sicut accidit sæpius his qui iustè puniti sunt. Hæc Nyss. Greg. Addiderim in spoliatorum cadauerum deuoratione, non solùm inspexisse Deum iustitiam, qua obstinatos peccatores tanto supplicio mulctanit: sed etiam misericordiam, qua prouidit; ne pestifero tot cadauerum halitu infectus aër, populo suo noceret. Cum Greg. Nyss. consentit interpretatio Vatabli; ait enim in annotatione 25. non solùm absorpti sunt aquis, sed etiam terra aperuit se, & absorbuit eos. Videtur autẽ loqui de terra littorali, ad quam à fluctibus eiecta sunt cadauera, quemadmodum Nyssen. non autem de terra,

Oleaster.

Cadauera Ægyptiorum deuorata à terra littorali.

Greg. Nyss.

Greg. Nyss. Misericordia Dei in deuoratione Ægyptiorum, ne pestilentem odorem exhalarent.

Vatab. in annot.

quæ est in fundo maris, cuius hiatus videri ab Hebræis, qui in littore erant, nequaquam poterat.

II. Origenes, ad allegoriam conuersus, deuorari, etiam hodie à terra impios affirmat, dum toti sunt in rebus perituris & caducis; terræque voluptatibus inhiantes, nihil cœleste cogitant. *Impios*, inquit, *ille, & hodie deuorat terra. An, non tibi videtur terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat? Qui de terra loquitur, de terra litigat: terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra? Qui ad cœlum non respicit: qui futura non cogitat: qui iudicium suum non metuit; nec beata promissa desiderat, & terrena suspirat? Talem cùm videris, dicito, quia deuorauit eum terra, &c.*

Origenes.

Deuorat terra eos qui de terra semper cogitant, & litigant.

III. Idem verba hæc accommodat supplicio, quo affecti sunt Iudæi, quia extendenti Christo manus suas in cruce ad miserendum: illi in infidelitate sua, obstinata malitia permanserunt. Adhuc, inquit, me mouet, quod ait: *Extendisti dexteram tuam, & deuorauit eos terra*: quasi, vt deuorarentur à terra; hæc causa fuit quòd extendit Dominus dexteram suam. Si consideres, quo modo Dominus exaltatus in cruce, *tota die extendit manus suas ad populum non credentem, sed contradicentem*; & qualiter infidelem populum, qui clamauit; *Crucifige, crucifige eum*, mors admissi sceleris oppresserit, inuenies euidenter quo modo extendit dexteram suam, & deuorauit illos terra. Nec tamen penitus desperandum est. Possibile namque est vt si fortè resipiscat, qui deuoratus est, rursum possit euomi, sicut Ionas. Sed & omnes nos puto, quos aliquando terra deuoratos, in inferni penetralibus retinebat: & propterea Dominus noster descendit, non solùm vsque ad terras, sed vsque ad inferiora terræ, & ibi nos inuenit deuoratos, sedentes sub vmbra mortis: & inde educens; non iam locum terræ, vt iterum deuoraremur; sed locum præparat nobis regni cœlorum. Propterea ergo addit: *Deduxisti in iustitia populum tuum hunc, quem liberasti, consolatus es in virtute tua, in requie sancta tua.* Dominus populum suum, quem liberauit pretioso sanguine filij sui, per lauacrum regenerationis, deducit in iustitia, cõsolatur etiam eum; futurorum namque spes, laborantibus requiem parit, sicut & in agone positis, dolorem vulnerum, mitigat spes coronæ. Hæc Origenes.

Iudæi supplicio affecti quòd Deo extendenti in cruce manus, non acquieuerunt.

Christus in iustitia deduxit populum suum de inferorum, & peccati carcere.

IV. Abulens. q. 3. super cap 15. Exod. sequutus D. Aug. & alios interpretes, ait, nõ ita deuorasse Ægyptios terram hiatu facto, sicut absorbuit Dathan & Abiron, qui viuentes terræ voraginibus hausti sunt, vt patet ex lib. Num. cap. 16. & 26. Sed dici à Mose absorptos à terra, quia descenderunt ad imas pelagi profunditates, ipsumque solum, cui aqua innatat. In eo igitur iuxta Abulensem, cui consentit Caietanus, cernitur metaphora, quia sicut illi, qui absorbentur terræ voragine, humanis occultantur aspectibus: ita illi, qui maris fluctibus absconduntur, licèt terræ viscera non subintrent, donec, rupto felle, eos mare ad littus expuat, vt deuorati, occultantur. Quod Abulensis accidisse Ægyptiis arbitratur. Visi enim sunt in terræ viscera, haustu subito includi, qui non comparuerunt, donec cadauera ad littus sunt expulsa. Cæterùm opinio Greg. Nyss. magis commendat Dei iustitiam in superbos & impios sui populi hostes declaratam; & misericordiam in Hebræos pluribus significatam miraculis. Vnde colliges, plumbum siue lapidem, quo grauantur peccatores, tanto pondere ad ima Tartari loca, animam & corpus impellere, vt non solùm descendant, qui hoc onere premuntur, ad profundissimas maris partes, vt Ionas,

Abulens. August. Exod. 15. Num. 16. & 26. Caiet. Mare, quos deuorat fluctibus, rupto felle, expuit.

Greg. Nyss.

Pondus peccati trahit ad ima.

Apoc. 12. 2. Pet. 2.

Gen. 3.

In die iudicij plumbo peccati onusti deuorabuntur à terrà.

nas, sed etiam rupta terra, ad illius meditullium, vt Ægyptij. Non tulit empyreum olim hoc pondus in Lucifero, & Angelis apostatis: peccati namque pondere deorsum ruentibus, viam ad imas Erebi lacunas illis patefecit. Non tulit Paradisus voluptatis, primos parentes, hoc onere diu premi: actutum illos expulit in exilium. Aperientur in iudicij generalis extremo die cauernæ: per quas, rupta terra, pondere peccatorum deuorentur, qui hoc plumbo inuenti fuerint onusti. Tunc aspectum iudicis, quem videreri in vita noluerunt, formidantes, dicent montibus: *Cadite super nos: &* collibus: *Operite nos.* Nec tamen à collibus, aut à montibus audientur, sed à terra, Deo iubente, in voragines hiante, deuorabuntur.

Anima, quæ peccata sentit & vulnera, doloris signa videat.

Mich. 1.

Aquilæ caluitium est expilatio plumarum.

Greg. PP.

Quo modo Tyrus caluitium aquilæ sit imitata, amisso populo, & principibus.

V. Signa doloris intimi exprimere debet anima, quæ peccati captiuitatem, qua miserè alligatur, considerat. Illi mihi videtur Michæas cap. 1. dicere, maiora præuidens mala, quod de Tyro dictum est; *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum, sicut aquila; quoniam captiui ducti sunt ex te.* Quasi dicat: non sit tibi satis caput radere præ luctu, totum corpus expila, more aquilarum, quæ senio confectæ vniuersas velleant rostro, & excutiunt plumas. D. Greg. in Ezechielem, locum hunc Mich. sic explanat: Caluitium, inquit, hominum, in solo capite fieri solet: Caluitium verò aquilæ, in toto corpore: quia cùm valde senuerit, plumę eius, ac pennę ex omnibus membris illius cadunt. Caluitium ergo suum, sicut aquila, dilatat; quia plumas perdidit, quæ populum amisit. Alarum quoque pennæ ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueuerat; quia omnes potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc D. Greg. Quibus verbis Tyri statum infelicem, cum Propheta depingit. Tu animæ, iam partem pœnarum, quæ à Deo peccatis sunt destinatæ, experienti, tropologiam accommoda. Illa enim, nisi dolore interno, aut maceratione aliqua corporis suscepta peccata redimat, ab ipsa Tartari voragine alis, quibus rapinas, & alia flagitia exercebat, detractis, absorbebitur.

Vers. XIII. *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.*

Dei erga populum suum insignis misericordia.

ANNOTATIO II.

Abulens.

Duodecim in mari factas diuisiones, verisimile est.

Geneb. Psal. 135.

Abben. Ezra. Exod. 14. Epiphan.

I. DIcitur Deus suum deduxisse populum per viam in mari rubro diuiſi tus patefactam: aut, vt Abulensis, sequutus quosdam Rabbinos, arbitratur, per duodecim vias. Quam sententiam sequitur etiam Genebrard. in expositione Psal. 135. enarrans, vers. 13. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones*, id est, in multas partes, & sectiones, tanquam in muros multos, coagulatis & condensatis aquis, nempe, duodecim, pro numero tribuum, vt quæque suum haberet iter, & celerius transiret. Idem in suis traditionibus affirmant Hebræi, vt autor est Abben-Ezra, Exod. 14. & Epiphan. hæresi 64. contra Origenem. In sequenti vers. 14. dicitur: *Et eduxit Israel per medium eius*; hoc est, transire fecit, siue, traiecit. Pro, *per medium eius*, Hebraicè est, *bethoch*, id est, *intra illud*, vt peruenirent scilicet in littus oppositum, & Arabicum. Vel, iuxta recentiores

tiores Hebræos, quos allegat, & sequitur Abulensis, vt intra illud, per modum semicirculi; redirent in littus Ægyptium. Vox *Bethoch*, vt annotauit Genebr. vtranque sententiam patitur. Fuit autem ista deductio, facta in misericordia: primùm, quia stupentibus Hebræis inter Scyllam, vt dicitur, & Charybdin, hoc est, inter hostes à tergo prementes, & mare à fronte progressum impediens, aperta via illis est, qua euaderent, suis iugulis imminentes Ægyptiorum gladios. Deinde, misericordia cernitur in Angelo, qui tanquam dux & antesignanus in columna nubis, & ignis, tutum iter, non semel tantùm, sed sæpius demonstrauit. Vnde quidam Paraphrastes Psalm. 113. qui incipit: *In exitu &c.* eleganter cecinit:

Abulensis opinio singularis est, reduxisse Israëlitas per semicirculũ ad littus Ægyptium. *Genebr.* *Psalm. 113.*

Ipse Deus Iudam cœlesti numine tutum
Fecit: erat populi signifer ipse sui.

Tertiò, considerari potest numinis benignitas in operatione miraculorum, quæ fortitudinis vocabulo significatur, cùm dicitur: *Et portasti eum in fortitudine tua*: ad hanc enim operationem, siue fortitudinem spectant patefacti maris latissima spatia: cibi cœlitus concessi: aquæ de lapide manantes: aliarúmque rerum innumera miracula: ex quibus in Psal. prædicto nonnulla commemorantur: quale est illud: *Et excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro.* Item, *qui traduxit populum suum per desertum*, id est, Israëlem, per Arabiam desertam, destitutum necessariis ad victum rebus, incedere fecit: quod magni beneficij indicium fuit. Quare & hodie, inquit Genebrardus, etiam si via magis frequentetur, viatores illic vtuntur quadrantibus nauticis, quasi in medio Oceano; & omnia ad victum & potum in mensem deferunt. Quartò, apparet hæc misericordia in prophetia, qua dicitur Deus suum deducturus populum vsque ad habitaculum sanctum. Quam prophetiam Greg. Nyss. sequens 70. interpretum versionem, ita effert, vt in contextu annotauimus: *Dux fuisti iustitia tua populo tuo huic, quem redemisti. Adhortatus es fortitudine tua in habitaculum sanctum tuum.* Deinde idem Nyssenus iustitiæ vocabulum hic positum, quam significationem habeat, idoneè exprimens: *Iustitia*, inquit, *est, quam verissimè saluare hospites, iniuria affectos, & qui in seruitutem abducti erant, ab insidijs, & iniquo magistratuum imperio liberare.* Et paulò inferiùs: *Adhortatus es &c.* hoc est, *portasti*, sic enim Symmachus interpretatus est: *Adhortatus es custodiens ipsos in omnibus: & hostes vlciscens; & liberalem ipsis bonorum salutem largiens, donec in ipsam terram, quam promisisti, restituisti. Habitaculum sanctum,* est pia cogitatio, & bonarum actionum operatio, in quam adhortatus est ipsos, corrigens eorum stultitiam, & optimis moribus eos imbuens, vt pater, & præceptor, &c. Profectò insignis misericordia exprimitur, dum Deus paterno affectu, & magisterio dux fuisse describitur, populo suo, ab Ægypto liberato, per solitudinem, vsque ad montem, in quo illi templum ædificatum fuit. Hæc ille.

In solitudine Arabica opus est indice nautico, & cibo viatico. *Genebrardus.* *Gregor. Nyss.* *Symmachus.* *Habitaculum sanctum, est pia cogitatio.*

II. Rupertus ad anagogicum sensum trahit hæc verba: *Dux fuisti &c.* Prætermissis tamen aliis, in quibus ille immoratur: Quærit quódnam sit habitaculum, ad quod Deus, ducis instar, populum suum in misericordia, & fortitudine perduxit? Quod est, inquit, habitaculum Dei sanctum? Nunquid terra peccatorum? terra Chananæorum? Fuerit quidem illuc habitaculum sanctum, id est, ciuitas sancta Hierusalem: vel templum, & sancta sanctorum.

Rupertus. *Habitaculũ, ad quod Deus suos ducit, est cœlestis Hierusalem.*

K Verùm

Verùm non propter se illa sancta fuere: sed propterea quia cœlestium erant exemplaria sanctorum. Ergo non tam locum illum terrenum quàm terram viuentium, cuius illa fuit vmbra, dixit habitaculum Dei sanctum: quò per gloriosam ductoris Dei magnificentiam, portandum præuidebat esse vniuersum sanctorum populum, in fortitudine Dei, quæ non est alia quàm filius Dei &c.

III. Magna populo Christiano accedere potest consolatio quòd ducem habeat Deum in misericordia; non eo tantùm modo, quo ostensa fuit Hebræis; sed multis aliis, qui in lege gratiæ existunt: ex vsu, videlicet, Sacramentorum, & præceptis, consiliisque ad salutem accommodatis, quibus, ne miseria, vt ceteræ gentes, & infelicitate contabescamus, præbere docilem aurem iubemur. Audi quid Deus Ieremiæ 7. in hanc attestetur sententiam: *Non sum loquutus cum patribus vestris; & non præcepi eis ex die quo eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum: sed hoc verbum præcepi eis, dicens; Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi in populum: & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt bene sit vobis, &c.* Expendenda est particula: *Et ero vobis Deus:* An est aliquid quod appetere vltrà animus debeat? In his verbis includitur quicquid vel animus desiderare potest, vel Deus ipse, quantumcúnque potens sit, concedere. Quod regius Propheta Psal. 147. perspexit, Israëlis considerans felicitatem: *Beatus*, inquit, *populus, cuius Dominus Deus eius.* An non sunt felices, quibus Deus ait, *Vos eritis mihi in populum*? Et ipsi aiunt, *Deus meus es tu*? Offert Deus nobis misericordiam suam: eandémque facilè concedit. Hunc ducem & protectorem sequamur. Queritur apud Isaiam cap. 40. Christus Dominus, ad patrem diuinum loquens, quòd homines videat segnes, & ad excipienda cœlestis misericordiæ dona, quibus in nos munificè & liberaliter vsus est, torpescentes: *In vanum*, inquit, *laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Vocat fortitudinem, industriam, & conatum, misericordiam, quam applicuit, vt omnibus prodesset hominibus.

Ierem. 7.

In his verbis ero vobis Deus, includitur quicquid animus desiderare potest, vel Deus cōcedere.

Psalm. 147.

Isa. cap. 40.

IV. Similes mihi videntur, in obstinatione, qua Dei misericordiam non procurant, imò interdum negligunt plerique, ipsis Angelis apostatis. Hi enim & miseri sunt apud inferos, & liberari à miseria, nec volunt, nec possunt. De illis ita Prosper Aquitanicus de vita contemplatiua cap. 3. *Quos diuina sententia eo supplicio condemnauit, vt quia noluerunt perseuerare, cùm possent, neque vellent reparari, neque possent, &c.* Proficiscitur hæc mali labes, ex voluptate, qua nos præsens deludit peccatum, & ex rebellione, qua opponitur illius malitia diuinæ bonitati. Sed, quæ voluptas in miseria? Ad misericordem Christum oculos adiiciamus. Ille dux nobis erit in misericordia. *Adduxerunt scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad Christum, tentantes eum.* Erat illa causa sanguinis. Atq; eapropter affirmat D. August. cōmendari maximè Christi clementiam in eò quòd illius inimici & iurati hostes, eum, in causa, iudicem facerent, cui proposita erat pœna mortis: idque, tentantes eum. Neque enim tentatio esset, nisi perspecta illis esset natura Christi à seueritate iustitiæ aliena: & ad mansuetudinem propensa. Hæc propensio apertè ostenditur in Psal. 44. vbi veritas & iustitia inueniūtur cum mansuetudine copulatæ: *Propter veritatem*, inquit, *& mansuetudinem, & iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.*

Prosper.

Quidam ita miseri sunt, vt liberari à miseria nec velint, nec possint, vt dæmones.

Ioan. 18.

Augustinus.

Psalm 44.

V. Philo

V. Philo Iudæus in lib. Quòd Deus sit immutabilis; multis probat argumentis, solere Deum, seueritatem iustitiæ, temperamento lenitatis moderari. Primùm id colligit ex modo pœnæ, diluuij tempore, mundo irrogatæ: *Memor, inquit, perfectissimæ suæ bonitatis Deus, etiamsi omnes homines, aut maxima eorum multitudo, suapte culpa ruat in perniciem: tamen salutarem dexteram porrigens, sustentat, & erigit, non sinens vniuersum genus deleri. Quapropter nunc ait, Noë inueniße apud eum gratiam, quia cæteri daturi sunt pœnas ingratitudinis, vt salutaris misericordia temperetur peccatorum damnatione: sicut hymnorum cantor dicit alicubi, Misericordiam & iudicium tibi. Nam si Deus, mortalem iudicaret, absque misericordia, atrum ferret calculum: cùm nemo à natiuitate vsque ad obitum, sine lapsu percurrat vitæ spatium: sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente vestigio.* Hæc Philo. Atque, vt de diuina misericordia bene speremus, ait, *Antiquior apud eum est misericordia, quàm iustitia*; quippe qui pœna dignum noscit non iudicatum, sed ante iudicium. Quamobrem alicubi dicitur: *Calix in manu Domini, vini meri plenus temperamento.* Atqui temperamentum, non est merum. Habent tamen hęc rationem naturalem his quæ diximus consentaneam. Deus enim potentiis suis erga seipsum meris vtitur: temperatis autem, erga suas creaturas, &c. Huc pertinet illa Pandoræ fabula, quæ dicitur astare coram Ioue, & è duobus doliis, bona mista malis in terram, iussu Iouis immittere. Vnde illud:

Phil. Iudæus. Seueritas diuina lenitate temperatur.

Si Deus mortalem iudicaret absque misericordia, atrũ ferret calculũ.

Antiquior est apud Deum misericordia quàm iustitia.

Psalmi. 74.

Pandora bona & mala terris immittit.

Dolia magna Iouis duo stant in limine primo. *Homerus.*

D. Chrysostomus hoc ipsum pulchrè expendit, Dei misericordiam in ipso supplicio demiratus. Deus namque promittens, non fore ampliùs diluuium aquarum, eam rationem assignat suæ promissionis, quæ, nisi clementissimus esset, poterat eum impellere, non ad minuenda sed ad cumulanda supplicia. *Nequaquam*, inquit, *vltrà maledicam terræ*: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, &c. *O rara misericordiæ spes?* exclamat Chrysost. Cur ita exclamat vir sanctissimus? Certè, quia videt, in rationem misericordiæ assumi, quod poterat esse occasio exercendæ iustitiæ. Quid quod paulò antè, hac ipsa ratione motus est Dominus, ad pœnam mundo inferendam? Sic enim scriptum est: *Videns autem Deus quòd multa malitia hominis esset in terra &c. Delebo*, inquit, *hominem, quem creaui.* Sit ergo nobis Deus, in hac vita mortali ad illam immortalem festinantibus, dux in misericordia.

Chrysost.

Chrysost. Vtitur Deus ad misericordiam iis quæ poterant irritare iustitiã.

Gen. 6.

Vers. XIII. *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua.*

Imitari decet diuinam erga homines misericordiam.

ANNOTATIO III.

I. Considerant antiquissimi æquè & sanctissimi Patres, Deum ad misericordiam magis propensum quàm ad iustitiam. Vnde Theodoret. enarrans verba illa, cap. 20. Exodi: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui*

Deus propẽsior ad misericordiã est, quàm ad iustitiam.

Theodoret.

Exod. 20.

Verùm non propter se illa sancta fuere: sed propterea quia cœlestium erant exemplaria sanctorum. Ergo non tam locum illum terrenum quàm terram viuentium, cuius illa fuit vmbra, dixit habitaculum Dei sanctum: quò per gloriosam ductoris Dei magnificentiam, portandum præuidebat esse vniuersum sanctorum populum, in fortitudine Dei, quæ non est alia quàm filius Dei &c.

III. Magna populo Christiano accedere potest consolatio quòd ducem habeat Deum in misericordia; non eo tantùm modo, quo ostensa fuit Hebræis; sed multis aliis, qui in lege gratiæ existunt: ex vsu, videlicet, Sacramentorum, & præceptis, consiliisque ad salutem accommodatis, quibus, ne miseria, vt ceteræ gentes, & infelicitate contabescamus, præbere docilem aurem iubemur. Audi quid Deus Ieremiæ 7. in hanc attestetur sententiam: *Non sum loquutus cum patribus vestris; & non præcepi eis ex die quo eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum: sed hoc verbum præcepi eis, dicens; Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi in populum: & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt bene sit vobis, &c.* Expendenda est particula: *Et ero vobis Deus:* An est aliquid quod appetere vltrà animus debeat: In his verbis includitur quicquid vel animus desiderare potest, vel Deus ipse, quantumcúnque potens sit, concedere. Quod regius Propheta Psal. 147. perspexit, Israëlis considerans felicitatem: *Beatus,* inquit, *populus, cuius Dominus Deus eius.* An non sunt felices, quibus Deus ait, *Vos eritis mihi in populum?* Et ipsi aiunt, *Deus meus es tu?* Offert Deus nobis misericordiam suam: eandémque facilè concedit. Hunc ducem & protectorem sequamur. Queritur apud Isaiam cap. 40. Christus Dominus, ad patrem diuinum loquens, quòd homines videat segnes, & ad excipienda cœlestis misericordiæ dona, quibus in nos munificè & liberaliter vsus est, torpescentes: *In vanum,* inquit, *laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Vocat fortitudinem, industriam, & conatum, misericordiam, quam applicuit, vt omnibus prodesset hominibus.

Ierem. 7.

In his verbis ero vobis Deus, includitur quicquid animus desiderare potest, vel Deus concedere.

Psalm. 147.

Isa. cap. 40.

IV. Similes mihi videntur, in obstinatione, qua Dei misericordiam non procurant, imò interdum negligunt plerique, ipsis Angelis apostatis. Hi enim & miseri sunt apud inferos, & liberari à miseria, nec volunt, nec possunt. De illis ita Prosper Aquitanicus de vita contemplatiua cap. 3. *Quos diuina sententia eo supplicio condemnauit, vt quia noluerunt perseuerare, cùm possent, neque vellent reparari, neque possent, &c.* Proficiscitur hæc mali labes, ex voluptate, qua nos præsens deludit peccatum, & ex rebellione, qua opponitur illius malitia diuinæ bonitati. Sed, quæ voluptas in miseria? Ad misericordem Christum oculos adiiciamus. Ille dux nobis erit in misericordia. *Adduxerunt scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad Christum, tentantes eum.* Erat illa causa sanguinis. Atq; ea propter affirmat D. August. cõmendari maximè Christi clementiam in eo quòd illius inimici & iurati hostes, eum, in causa, iudicem facerent, cui proposita erat pœna mortis: idque, tentantes eum. Neque enim tentatio esset, nisi perspecta illis esset natura Christi à seueritate iustitiæ aliena: & ad mansuetudinem propensa. Hæc propensio apertè ostenditur in Psal. 44. vbi veritas & iustitia inueniútur cum mansuetudine copulatæ: *Propter veritatem,* inquit, *& mansuetudinem, & iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.*

Prosper.

Quidam ita miseri sunt, vt liberari à miseria nec velint, nec possint, vt dæmones.

Ioan. 18.

Augustinus.

Psalm 44.

V. Philo

V. Philo Iudæus in lib. Quòd Deus sit immutabilis; multis probat argumentis, solere Deum, seueritatem iustitiæ, temperamento lenitatis moderari. Primùm id colligit ex modo pœnæ, diluuij tempore, mundo irrogatæ: *Memor*, inquit, *perfectissimæ suæ bonitatis Deus, etiamsi omnes homines, aut maxima eorum multitudo, suapte culpa ruat in perniciem: tamen salutarem dexteram porrigens, sustentat, & erigit, non sinens vniuersum genus deleri. Quapropter nunc ait, Noë inuenisse apud eum gratiam, quia cæteri daturi sunt pœnas ingratitudinis, vt salutaris misericordia temperetur peccatorum damnatione: sicut hymnorum cantor dicit alicubi, Misericordiam & iudicium tibi. Nam si Deus, mortalem iudicaret, absq; misericordia, atrum ferret calculum: cum nemo à natiuitate vsque ad obitum, sine lapsu percurrat vitæ spatium: sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente vestigio.* Hæc Philo. Atque, vt de diuina misericordia bene speremus, ait, *Antiquior apud eum est misericordia, quàm iustitia*; quippe qui pœna dignum noscit non iudicatum, sed ante iudicium. Quamobrem alicubi dicitur: *Calix in manu Domini, vini meri plenus temperamento.* Atqui temperamentum, non est merum. Habent tamen hęc rationem naturalem his quæ diximus consentaneam. Deus enim potentiis suis erga seipsum meris vtitur: temperatis autem, erga suas creaturas, &c. Huc pertinet illa Pandoræ fabula, quæ dicitur astare coram Ioue, & è duobus doliis, bona mista malis in terram, iussu Iouis immittere. Vnde illud:

Phil. Iudæus. Seueritas diuina lenitate temperatur.

Si Deus mortalem iudicaret absq; misericordia, atrū ferret calculū.

Antiquior est apud Deum misericordia quàm iustitia.

Psalm. 74.

Pandora bona & mala terris immittit.

Dolia magna Iouis duo stant in limine primo. *Homerus.*

D. Chrysostomus hoc ipsum pulchrè expendit, Dei misericordiam in ipso supplicio demiratus. Deus namque promittens, non fore ampliùs diluuium aquarum, eam rationem assignat suæ promissionis, quæ, nisi clementissimus esset, poterat eum impellere, non ad minuenda sed ad cumulanda supplicia. *Nequaquam*, inquit, *vltrà maledicam terræ*: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, &c. *O rara misericordiæ spes?* exclamat Chrysost. Cur ita exclamat vir sanctissimus? Certè, quia videt, in rationem misericordiæ assumi, quod poterat esse occasio exercendæ iustitiæ. Quid quod paulò antè, hac ipsa ratione motus est Dominus, ad pœnam mundo inferēdam? Sic enim scriptum est: *Videns autem Deus quòd multa malitia hominis esset in terra &c. Delebo*, inquit, *hominem, quem creaui.* Sit ergo nobis Deus, in hac vita mortali ad illam immortalem festinantibus, dux in misericordia.

Chrysost.

Chrysost. Vtitur Deus ad misericordiam iis quæ poterant irritare iustitiā.

Gen. 6.

Vers. XIII. *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua.*

Imitari decet diuinam erga homines misericordiam.

ANNOTATIO III.

I. Considerant antiquissimi æquè & sanctissimi Patres, Deum ad misericordiam magis propensum quàm ad iustitiam. Vnde Theodoret. enarrans verba illa, cap. 20. Exodi: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt*

Deus propēsior ad misericordiā est, quàm ad iustitiam. Theodoret. Exod. 20.

oderunt me, &c. In primis ſtatuit, nihil his verbis contrarium includi iis quæ dicta ſunt, Deut. 24. *Filius non portabit iniquitatem Patris &c.* Deum quippe, pro ſua clementia, qua cupit omnes homines ſaluos fieri, grauiora ſolere minari ſupplicia quàm ſumere: atque adeò ita loqui, vt vel ſic à flagitiis deterreret eos qui filiorum ſuorum ſunt amantiores. Quare nuda ſpectare verba Exod. 20. eſſe irreligioſum: cùm Deus contraria lege ſtatuerit, Deut. 24. ſcilicet non debere filios mori pro parentibus; ſed, ſuum cuique peccatum, exitij cauſam eſſe. Deinde ſuam ſententiam, adhibito pro miſericordia ſuffragio, ſic interponit: Ego, inquit, potiùs opinor, eas minas Dei erga homines, amoris magnam ſignificationem facere: cùm illam habeant adiunctam clauſulam: *Qui me odio habent:* eſt enim hoc perinde, ac ſi dicat: ſuſtineo me à plectendo peccantes patres, atque à puniendo filios delinquentes. Si portò tamen nepotes, ac pronepotes pergant maiorum ſuorum improbitatem imitari, ſumo tandem ſupplicium. Et hanc, inquit, ſententiam res ipſa comprobat: quinta enim generatione memorantur Iſraëlitæ, Ægyptum reliquiſſe. Iam verò, horum maiores, qui Ægyptiorum Deos coluerant, neque ipſi pœnas dederant, neque eorum patres, aut aui: ſed iſti tandem, qui ſunt quinta generatione egreſſi, cùm maiorum ſuorum veſtigiis impietatis inſiſterent, luerunt ſupplicium. Quippe qui poſt tanta, quæ acceperant, beneficia: poſt tot miracula, quæ conſpexerant, non ſe abſtinuêre ab auita improbitate. Porrò horum poſteri, cùm Seruatorem Deum amarent; iis, quæ maioribus ſuis promiſſa fuerant, ipſi ſunt potiti. Sententiam Theodoreti & expoſitionem eius, ſuper cap. 20. Exo. ſequitur D. Tho. 22. q. 108. a. 4. ad primum prope finem.

Deut. 24.
Exod. 20.
Deut. 24.
Dei miſericordia eſt viſitare iniquitates patrũ in filijs vſque ad tertiam vel quartã generationem.
Imitatores filij impiorum patrum in 3. vel 4. generatione puniuntur.

II. Theodoreti quoque ſententiæ illa ſunt conſentanea quæ à pleriſque Iudæis, qui eum Exodi locum tractauerunt, ſcripta refert Maſius ſuper cap. 6. Ioſue. Aiunt nanque iſti, differri Patris ſupplicium, ſi fortè reſipiſcat, aut probum gignat filium. At, ſi poſteritas maiorum ſuorum vitia non declinauerit; tunc demum illum pœnas poſcere, memorem eorum quæ maiores continua ſerie patrarunt maleficia. Rabbi Moſes Gerundenſis aliter ſentit. Arbitratur enim parentum idololatriam luere filios, ſi etiam ipſi colant idola. At in cæteris peccatis, vera eſſe, quæ ſunt ab Ezechiele dicta, cap. 18. Similiter atque ciuiles leges, crimen læſæ maieſtatis, non autem alia maleficia, vindicant in filiis. Qui tamen, vim verbi viſitandi, quam ex Hebræo, פקד *Pacad*, habet, ſcitè perſpexerit, Theodoreti interpretationem, licèt ἀισὶ ſit, pro miſericordia ſuffragantem laudabit. Significat enim hoc verbum, vindictam ſine vlla dilationis aut procraſtinationis inſinuatione. Hîc ergo perſpicuè, id quod verum eſt, duo ſentit. Vnum eſt, ad diuinam pertinere miſericordiam, quòd maiorum ſcelera patienter ſæpe ferat vſque ad tertiam aut quartam generationem. Quòd autem tunc tandem poſteros punit, id ad prouidentiæ eius opinionem rebus publicis neceſſariam ſpectare. Deinde poſteros, non ipſas parentibus pœnas debitas pendere: eas enim ij iuſtiſſimas in æterna vita dabunt: ſed ſua delicta luere, quæ parentum ſuorum delictis ſimilia ipſi admiſêre. Summa eſt, pœnas tandem dare filios, aut alios poſteros non de maiorum ſuorum ſceleribus, quorum noxa penes maiores erat; ſed de ſimilibus, ſi ſimilia admittant, & maiorum veſtigiis inſiſtant. In quo, quis non videt Dei in procraſtinanda ſcelerum vltione patientiam & miſericordiam? Sanè videtur, cùm ad miſericordiam

Theodoret.
Maſius.
Ioſue 6.
Differri patris ſupplicium à Deo, ſi vel ipſe reſipiſcat, vel probũ gignat filiũ, inquiunt Hebræi.
Rabbi Moſes Gerundenſis.
Ezech. 18.
Crimen læſæ maieſtatis vindicatur etiam in filijs.
Theodoreti interpretatio laudatur.
Verbũ פקד
Dei mira patientia in procraſtinanda ſcelerũ vltione.

cordiam propensior sit: idcircò tandem punire in posteris maiorum delicta, ne si in hac vita omnino impunita abeant, in eam homines veniant suspicionem, qua nulla potest esse pestilentior; mundum Dei prouidentia non gubernari. Hæc apud Iosue à nobis copiosiùs tradita sunt. Nunc ad Patrum sententias veniamus, qui multis nos verbis hortantur; vt erga proximos, quos in misetia implicitos videmus, misericordes simus. Primùm, Greg. Magnus super illud Iob 31. *Sic comedi bucellam solus*: sic ait, pietati se præiudicium facere existimat, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. Idem super illud Luc. 16. *Vt cùm defeceritis recipiant vos, &c.* Sic ait: *Ergò patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis largimur.* Idem Moral. 18. cap. 10. *Diues*, inquit, *epulo, serò oculos aperuit, compulsus in damnatione cognoscere quid perdidit: quando Lazarum non agnouit. Iustè autem, qui de abundantia peccauit, æstuanti crematur inopia: Guttam aquæ petijt, qui micas panis negauit, &c.*

Eleemosyna & beneficētia cōmendantur. Greg. 21. moral. cap. 12. Iob 31. Luc. 16. Gregor. PP. Guttam aquæ petiit qui micas panis negauit. Hieronym.

III. D. Hieronymus ad Nepotianum. *Non memini me legisse, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores: & impossibile est, multorum preces non exaudiri.* Idem ad rusticum monachum. *Sanctus Exuperius Tholossanæ vrbis Episcopus, esuriens pascit alios: & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro.* Idem in Epitaphio Paulæ, largitatem illius commemorans, ait: *Fateor errorem meum: cùm in largiendo esset profusior, arguebam; illud proferens de Apostolo: Non, vt alijs refrigerium; nobis autem tribulatio: & qui habet duas tunicas, det vnam. Illa contrà testem inuocabat Deum, se hoc habere voti, vt mendicans moreretur: vt vnum nummum filiæ non dimitteret: & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra, ac seculo transituri sunt, sed in viuis lapidibus: in Apocalypsi ciuitas magni Regis extruitur: quos in saphyrum, & smaragdum, & iaspidem esse vertendos, scriptura commemorat.* Hæc Hieron.

Exuperius Episcopus esuriens pascebat alios. Hieronym. 2. Cor. 8. Luc. 3. Sanctæ Paulæ pietas & diuitiarum contemptus spe cœlestis regni potiundi.

IV. Quartò, in epistola quadam, D. Ambrosius, contra eos qui curiosè pauperum merita scrutantur, sic scribit: *Misericordia non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire, &c.* Idem de officiis: *Aurum*, inquit, *Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat etiam necessitatibus, &c.* Idem in quodam serm. *Esurientium panis est quem tu detines: nudorum indumentum quod tu includis: miserorum redemptio, pecunia quam tu in terra fodis? tantorum scias te inuadere bona, quantis possis præstare, & nolis. Non sunt bona hominis, quia secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum, &c.*

Misericordia nō de meritis, sed de necessitatibus iudicat. Ambros. Auarus alienum panem & pecuniam detinet. Sola misericordia comes est defunctorum.

V. D. August. de conflictu vit. *Memento*, inquit, *quid purpurato diuiti contigerit, qui non ideò damnatus est, quòd aliena tulerit, sed quòd egenti pauperi sua non tribuerit: & in inferno positus ad petenda minima peruenit, qui hic parua negauit, &c.*

August.

VI. D. Bernardus eleganter in Apologia exclamat contra Ecclesiasticos auaros, eos præsertim, qui plus student ornandis Ecclesiis, quàm alendis pauperibus. *O vanitas*, inquit, *vanitatum? Sed non vanior, quàm insanior. Fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides auro induit: & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum, &c.*

D. Bern. Fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus.

VII. Multa & præclarè dicta sunt à Petro Chrysologo Episcopo Rauenate, in laudem misericordiæ: *O insignem*, inquit, *paupertatis excellentiam? Hac Dei persona fit. Deus in paupere absconditur: & pauper quidem porrigit manum: Deus*

Petrus Chrys. Deus in paupere absconditur.

autem suscipit, quod offertur, &c. Idem in serm. de diuite & Lazaro: *Obturatis,* inquit, *auribus diuitis, nihil esset vox vnius clamantis: vnde Dominus ad aperiendum cor eius, totum corpus Lazari vlceribus cooperuit, vt tot essent ora clamantia quot vlcera existentia, &c.* Idem super illud Matthæi, *Esuriui, &c. Qui enim,* inquit, *misericors est, misericordia dignus est.* Idem, de ieiunio, & misericordia: *Quod terris,* inquit, *ver, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut vernis flatus, tota faciunt germina florere camporum: ita misericordia, tota ieiunij semina producit in florem. Quod oleum, lucernæ est; hoc, ieiunio pietas. Quod, diei Sol: hoc, eleemosyna noscitur esse ieiunio. Quod est anima corpori; hoc ieiunio largitas, &c.*

Deus tot in Lazaro ora esse velut clamantia, quot vlcera.
Similitudines crebra.
Misericordiā, ieiunij semina producit in florem.

VIII. Idem, ad eleemosynam ibidem, ita nos hortatur: *Manus pauperis Abrahæ sinus est: vbi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cæli, est manus pauperis: quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cœlo. Da homo pauperi terram, vt accipias cœlum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt accipias totum. Da pauperi vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus,* Oseæ 6. *Misericordiam volo. Qui, quod vult Deus Deo negat; à Deo sibi, quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo; O homo! Petit Deus, non sibi sed tibi. Humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias peruenitur. Domine in cœlo misericordia tua. Dicturus causam in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est; de venia sit securus. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Qui facit misericordiam, currit ad præmium: qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam, &c.*

Petrus Chrysolog.
Thesaurus cæli, est manus pauperis.
Da homo pauperi terram, vt accipias cœlum.
Oseæ 6.
Petit Deus non sibi sed tibi.
Psal. 35.
De patrocinio misericordiæ certus, de venia sit securus.

IX. Leo P. in apparitione Domini: *Nulli,* inquit, *paruus est census, cui magnus est animus. Nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Non discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium, &c.* Cùm ergo, & Deum habeamus ducem in misericordia; & Patrum nos clamores hortentur ad studium iuuandi miseros: Næ, ille supplicio dignus erit, qui vel Pharaonis duritiem sequutus, populum Dei non solùm non iuuerit opibus, sed insuper iniustè afflixerit: vel diuitis epulonis mores corruptos imitatus, sui curam gesserit, voluptates vitæ auidè amplexatus? Lazari verò mendici, & seruorum Dei famescentium labores irriserit? Quid quod magni animi est, omnibus benefacere? ait quidam:

Leo P.
Nulli paruus est census, cui magnus est animus.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Et Cicer. lib. 1. de Orat. *Nihil,* inquit, *est tam regium, tam liberale, támque munificum, quàm opem ferre supplicibus: excitare afflictos: dare salutem: liberare periculis homines.* Idem, pro Ligario: *Nulla re homines ad Deos propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando, &c.* Hortatur quoque nos Philo Iud. ad benignitatem, vel ex eo, quod apud Deum misericordiam experiemur in nostra causa, si in causa aliena fuerimus misericordes; sic enim ait: *Talem te famulis tuis præbe, qualem tibi Deum optas. Audiemur enim à Deo, sicut nos audimus: & aspiciemur ab ipso, vt nos aspicimus. Offeramus igitur misericordiam pro misericordia, vt pro simili simile adipiscamur.* Hæc Philo.

Ouid.
Cicero de Orat.
Idem, pro Ligario.
Philo Iud.
Talem se Dominus famulis exhibeat, qualem sibi Deum optat.

X. Discamus ergo à Deo ipso, benignè proximis nostris facere. Deus, in misericordia, & fortitudine duxit populum suum ad habitaculum sanctum: tribuens illi subsidia aquæ, in siti: panis cœlestis, in fame: victoriæ, in bello. Tu, in simili misericordia, & fortitudine; nunc famulum tuum; nunc filium; iam

exter

externum, cum quo agis; duc per solitudinem huius vitæ, ad habitaculum sanctum; hoc est, ad æternæ fœlicitatis sempiternas mansiones.

CANTICI MOSIS SECTIO VIII.

Vers. 14. *Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm.*

Vers. 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom: robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt habitatores Chanaan.*

Vers. 16. *Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Dominus: donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.*

Pagn. Pro, *obriguerunt*, legit, *dissoluti sunt*. Pro, *irruat super eos*; *cecidit super eos*. Pro, *fiant immobiles quasi lapis*; *Tacuerunt tanquam lapis*. In cæteris nihil habet diuersum.

Vatab. Ita vertit: *Audientes hoc populi contremuerant: dolor apprehendit habitatores Palæstinæ.*

Tunc perterriti sunt duces Edom: robusti Moab. apprehendit eos tremor: defluxerunt omnes habitatores Chanaan.

Cadat super eos tremor, & pauor in magnitudine brachij tui: obstupescant quasi lapis, donec pertransierit populus tuus ô Domine? donec pertransierit populus iste, quem adquisiuisti.

70. Interp. *Audiuerunt gentes, & iratæ sunt: dolores ceperunt habitatores Philisthijm: tunc festinauerunt duces Edom: & principes Moabitarum: accepit eos tremor. Liquefacti sunt omnes habitantes Chanaan.* Cætera non discrepant à vulgata editione.

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. PAraphrasis. Cùm audierint gentes res admirandas, quas in gratiam gentis Israëliticæ perpetrasti, & deinceps patrabis: excitabuntur in nos; & ad pugnam accincti, ira & furore nimio obcæcati, commouebuntur. Dolores ex metu profecti, Palæstinæ incolas torquebunt. Principes Idumæorum partim ira, partim formido conturbabit. Totis contremiscent artibus Moabitarum robustissimi milites. Omnes præterea, qui terram Chanaan incolũt, viribus destituti dissoluentur, & pauore extabescent. Nos verò, qui hæc ex tuo beneficio speramus, à te Domine prece supplici petimus, vt effectus votis respondeat. Magnitudo potentiæ tuæ, formidine & pauore eos alliget. Sint instar lapidum suis affixi locis; ne valeāt nobis resistere, donec ad terram promissam populus tuus Domine, nullo interpellante, incolumis perueniat. Populus

pulus tuus, inquam, iste, quem ex omnibus gentibus, veluti in tuum peculium electum, magnis tibi beneficiis, & insolitis prodigiis, acquisiuisti.

II. *Ascenderunt populi, & irati sunt.* In Hebræo est: *Audierunt populi, & contremuerunt*: vel, *trement*, vt vertit Caietanus. Vtramque enim significationem habet verbum, *Ragaz*. Chald. Paraphr. *Audierunt populi, commoti sunt.* Illud ad loci huius explanationem spectat, quod annotauit Abulensis super cap. 15. Exodi 9.4. enarrans hæc ipsa verba. Nempe, Hebræos transito mari, intrauisse in Arabicas solitudines versus montem Sinai: vbi nulli erant incolæ: modò verò aliqui sunt, propter aquas, quas Deus eduxit de Petra in Raphidim, & in Cades-barne. Ambiunt tamen illas solitudines multæ gentes; videlicet Philistiim ab occidente: & Amalechitæ, & Chananæi à parte superiori; atque Madianitæ vsque ad confinia terræ Edom, Moab & Ammon, regnúmque Amorrhæorum. Hi ergo populi audientes miracula, quibus Deus populum Israëliticum ab Ægyptiis protexit, metu consternati sunt. Vnde Balach, rex Moab, Num. 22. metu perculsus, ait: *Ita delebit hic populus omnes, quo modo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* Præmittit autem Moses, vt solet in genere, & quasi in summa, quæ sunt explicanda per partes. Tempus verò præteritum, vt aduertit Caietanus, & probat Rupertus, non refertur ad tempus quo carmen hoc decantatum fuit; nondum enim populi, de prodigioso hoc & prorsus mirabili transitu aliquid audierant, sed ad futurum euentum. Vaticinatur namque Moses fore, vt gentes per Arabiam, & Palæstinam dispersæ, cùm audierint, quæ diuinitus patrata sunt miracula, contremiscant.

Caietanus. Chald. paraphr. Abulens. Exod. 15. Num. 20. Incolæ Arabicæ solitudinis quales & quos habeant vicinos? Num. 22. Caiet. Rupert.

III. *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm.* Hebraicè: *Dolor obtinuit habitatores Palæstinæ*: vel, vt vertit Caietanus: *Tremor apprehendit habitatores Pelaseth.* Chald. Paraphr. *Tremor apprehendit omnes, qui habitant in Palæstina.* Quod in genere proposuerat, per partes iam tractat: à Philistæis, qui propinqui erant Ægypto, sumens initium: quippe qui etiam promissionis terram incolebant.

Caiet. Chal. paraphr.

IV. *Tunc conturbati sunt principes Edom.* Hebraicè: *Tunc fuerunt attoniti principes Edom.* 70. Interpretes: *Tunc festinauerunt principes Edom*: id est, voluerunt in principio aliquid conari: vel fugerunt, vt placet Oleastro, spectata significatione verbi, *bahal*, quod etiam festinare, & fugere significat. Particula autem, *tunc*, tempus innuit cogniti & fama auditi transitus Hebræorum per mare rubrum. Sunt autem principes Edom, Idumæorum duces.

70. Interpr. Oleaster.

V. *Robustos Moab. obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Pro, *robustos Moab*, Hebraicè est, *fortes Moabitidis regionis.* Pro, *obriguerunt*, Hebraicè: *defluxerunt, dissoluti sunt, pauore extabuerunt.* Vel iux. 70. Interp. *fuerunt liquefacti*; qua metaphora sumpta à rebus, quæ liquescunt; vides significari exanimationem Chananæorum; in quorum extinctionem, Israëlitæ ingressuri erant terram promissam, Deo disponente. Chald. *Contriti sunt omnes, qui habitabunt in Chanaan.* Porrò Chananæos vocari peculiariter eos qui oram illam maritimam habuerunt quæ olim est Phœnicia dicta, scitè tradit Masius super cap. 5. Iosue. Id enim colligitur ex cap. 13. Num. vbi exploratores, *Chananæus* (inquiunt) *habitat iuxta mare?* ob quam causam 70. Interpretes Iosue cap. 5. Pro, *Regibus Chananæorum*, reddiderunt: *Reges Phœniciæ.* Eadem quoque ratione: *Mulier, quæ* Matth. 15. *Chananæa*, Marci 7. *Syrophœnissa* vocatur.

70. Interp. Chald. Phœnicia. Masius. Iosue 5. Num. 13. Chananæi, idem qui & Phœnices. Marc. 7.

Quid

Quid quòd apud profanos autores notata in Phœnicibus mercaturæ & nauigationis assiduitas: eadem in sacris literis, sicut & calliditas Chananæis, tribuitur? Homerus Odyss. 15. scriptum reliquit: *Homerus.*

Ἔνθα δὲ φοίνικες ναυσίκλυτοι ἤλυθον ἄνδρες.

Apud Oseam verò cap. 12. Chananæorum vafricies, his verbis perstringitur, *Chananaus in manu habet trutinam fallacem: amat iniuriam facere*. Isa. 23. Testatur, negotiatores Tyri esse principes; Chananæósque eius esse viros in terris præclaros: hoc est, Tyri mercatores. Denique Salomon Prouerb. vlt. Mulierem frugi laudans: *Sindonem*, inquit, *fecit, ac vendidit: & cingulum tradidit Chananao:* hoc est, mercatori, siue negotiatori. Denique Masius loco citato, sic scribit: Vt planè, inquit, intelligas vtriúsque vocis inter se notationis conuenientiam: sicut apud Hebræos, præcisè sunt Chananæi, maris accolæ illi qui supra Palæstinos, siue Philistinos recedunt ad Septentrionem; sic apud Græcos φοίνικες. Rursus, vt interdum apud illos, Palæstini etiam vsque ad Ægyptum, subiiciuntur Chananæorum nomini, veluti in Genes. cap. 10. & in præsenti etiam opinor loco: sic Græci, τὴν φοινίκην ad Ægyptum vsque producunt aliquando. Dionysius enim Afer Gazam in Phœnicia locare non dubitauit: neque Moses in Chananæa. Estque hoc etiam ab Strabone scriptum lib. 16. *Est igitur prorsus eadem vna gens, si propriè loquamur, Chananaorum apud Hebraos, & Phœnicum apud Gracos ad facienda nauicularia, & ἐμπορικῇ τέχνῃ, celebris, propter portuosum mare quod accolunt*. Hæc ille. Libuit hæc annotare, non solùm, vt constet quinam populi sint Chananæi, de quibus passim mentio fit in sacris literis: sed etiam, vt intelligatur, Chananæorum potentiam, quæ magna erat, aduentu filiorum Israël in terram quam incolebant, diuina virtute magis quàm armis vllis, aut humana industria, succubuisse. *Osea 12. Chananaorũ vafricies. Isaia 23. Prouerb. vlt. Masius. Genes. cap. 10. Dionysius Afer. Strabo. Chananai & Phœnices, ydẽ sunt.*

VI. *Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui.*

Pro *irruat super eos formido*, Oleaster legit, *Cadet super eos terror & pauor*: aduertítque, non satis constare, quid intersit inter *Emath*, id est, *terror*, & pacad id est, *pauor*, seu *tremor*. Cæterùm cognitio huius discriminis, aut ignoratio, parum aut nihil refert ad loci huius interpretationem. Verba illa: *In magnitudine brachij tui*: in Hebræo hanc habent energiam: *Propter magnitudinem, & eleuationem, qua brachium ad percutiendum fortiter eleuas*. Et verò quo magis brachium districtum eleuat gladium: eò magis timet, qui subiectam habet vulneri excipiendo ceruicem. Vnde Lyricus: *Oleaster. Eleuatio diuini brachij ad percutiendum. Horat. lib. 3. Carm. od. 1.*

Districtus ensis, cui super impia
Ceruice pendet: non Siculæ dapes,
Dulcem elaborabunt saporem;
Non auium, citharaq; cantus
Somnum reducent &c.

Sensus ergo est: Chananæos, audientes pœnam, qua mulctasti Ægyptios, inuadat timor, quo te in transitu, aut ingressu nostro per illorum agros, pauidè formident.

VII. *Fiant immobiles quasi lapis.*

Hebraicè: *silebunt quasi lapis*. Pagninus: *Tacuerunt tanquam lapis*. Tantus erit timor, non solùm interior, sed etiam exterior, vt ne hiscere quidem, aut mutire audeant. Addit Caietanus hìc responsum ad obiectionem, qua quis ro- *Pagnin. Caietanus.*

L garet,

garet, cur hæc non fuerint, vt hîc prædicuntur, adimpleta? *Peccatum*, inquit, *populi Israël totius in Deum commissum post hoc canticum, in causa fuit. Impediunt enim intercedentia peccata executionem prophetiæ, quæ fit secundum præsentem iustitiam, qualis est hæc.* Hactenus Caietanus. Illud etiam aduerte, verba illa præcedentia: *In magnitudine brachij tui*: iuxta Hebraicam syntaxim, coniungi cum sequentibus: *Fiant immobiles quasi lapis.* Ac si dicat, ob robur tuum, quod brachio tuo præferes, taceant, & obmutescant quasi saxa, ἀπολιθωθήτωσαν, apud 70. Interp. idem est quod, *lapidescant*, siue *lapidei fiant*.

Propter peccata, Israëlitæ non viderunt stupentes Chananæos.

70. Interp.

VIII. *Populus tuus iste, quem possedisti.*

Verbum *Kana* significat *possidere*, & *acquirere*. Chald. Paraph. habet *quem redemisti*: Omnia hæc in Deum conueniunt. Ille enim populum Israëliticum possedit, acquisiuit, & redemit. In Hebræo, vt annotauit Oleaster, non est relatiuum *quem*, vnde sic exponit contextum: *Possedisti Domine* scilicet *terram*, aut *nos*; sed minùs aptè ad sententiam versiculi huius.

Chald. Paraph. *Oleaster.*

Vers. XIV. *Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthym.*

An peccata Hebræorum obstiterint ne prophetia hæc impleretur?

ANNOTATIO I.

Caietanus.

I. Existimauit Caietanus in annotationibus, vt paulò antè diximus, hanc prophetiam de formidine iniicienda Iudæorum hostibus; licèt magna ex parte fuerit completa; non tamen omnino euenisse, vt canitur, quoad aliquas prædictiones, qualis est illa: *fiant immobiles quasi lapis*: vel, vt ille legit, *silebunt quasi lapis.* Constat enim, eos aliquid molitos fuisse contra Israëlitas; multúmque negotij populo transeunti, & ingredienti terram promissam, facessisse. Adscribit autem Caietanus peccatis populi, quibus in solitudine passim Deum offendit, huius rei causam. Deus enim præsentem iustitiam aspiciens, prospera omnia pollicitus est populo; ferè tamen in his vaticiniis intelligitur conditio, fore, nimirum, quod prædicitur, nisi peccata obstiterint. Cum Caietano consentit Abulensis super cap. 15. Exod. q. 4. in particula, *quasi lapis*, quam ita enarrat: *Nullo modo moueantur hostes nostri in bellum contra nos.* Licèt autem sic rogasset Moses, tamen postea non sic totaliter completum est. Quod confirmat Abulens. ex bello, quod paulò pòst ab Amalechitis motum est contra Hebræos, vt scriptum est infrà cap. 17.

Deus pollicitus est prospera Hebræis, in qua tamē sollicitatione intelligebatur conditio, nisi peccata obstiterint. *Abulens.* *Exod. 15.*

Rupert.

II. Porrò contineri hîc prophetiam, nemini dubium esse debet: quod egregiè Rupertus expendit: sic enim ait: Sed vnde scire poterat, vt diceret Moses, quasi præteritum, quod futurum erat: *Tunc conturbati sunt principes Edom? &c.* Nam de Deo, quod ait, *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthym*; illud fortè responderi posset, quia vicina erat terra Philisthiim; & antequam mare ingrederentur, cauendum illis erat, ne per eos transire conarentur, sicut superiùs iam dictum est: eo quòd eorum dolor, id est, inuidia, iam exeuntibus de Ægypto innotuisset. Verùm Edom, dicentibus, *Obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam*; neque dum respondetat, *Non transibis per me*,

Num. 20.

alioquin

alioquin armatus occurrā tibi. Neq; dixerat Rex Moab: *ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus cōmorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.* Vnde ergo, nisi ex prophetico spiritu iam ista cantare nouerat. Hæc Rupert.

III. Iuxta hanc sententiam, quæ hîc affirmantur de formidine Philistinorum, Edomitarum, Moabitarum, & Chananæorum, prophetiæ sunt, & vaticinia certissima rei futuræ: & quod hîc præcinitur verbis, postea reipsa impletum est. Quod debuit aduertere Caietanus. Quanuis enim multa fuerint populi peccata, quibus iram meruit: Deus tamen fidelis est; negare seipsum non potest, vt ait Apostolus; quod hîc prædici iussit, suo tempore, haud dubiè adimpleuit. Cumulatiùs tamen, quæ vaticinio prædixit, præstitisset, nisi peccatis offensus, auxilium suum, ingrato populo subtraxisset. Quod si Caietanus duntaxat affirmasset, nemo illius repugnaret interpretationi. Sed ipsam prophetiæ adimpletionem expendamus. In primis Deut. cap. 2. dicit Dominus de Edomitis, *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos.* Mōxque subiungitur: *Hodie incipiam immittere terrorem, atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* Tertiò, Iosue cap. 2. Rachab. ait: *Irruit in nos terror vester, & elanguerūt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri, ad introitum vestrum, &c.* Præterea illa particula: *fiant immobiles quasi lapis:* in qua Caietanus & Abulensis hærent, potest accipi, non vt prophetia, sed vt oratio, & optatio, quam non est necesse adimpleri, vbi peccata indignum effectu reddunt orantem. Atqui Deus Hebræos in peccata lapsos, hostibus tradebat puniendos, vt colligitur ex 3. 4. & 6. capite libri Iudicum. vbi mox, vt Hebræi ad idololatriam deflectebant, immittebat in eos Deus hostes, qui eos impietate laxos, premerent seruitute.

Quæ dicuntur de formidine Chananæorū &c. prophetia est.

Deut. 2.

Deus iniiciebat formidinē hostibus populi sui.

Iosue 2.

Caietanus. Abulens.

Iud. 3. 4. & 6.

IV. Pertinet autem quod in hoc cantico prædicitur, tum ad iustitiam tum ad misericordiam diuinam commendandam. Seueritatis & iustitiæ est, quòd, vel sola fama, gentes Hebræorum inimicas, ita exterreat, vt animum de conseruanda salute sua despondeant, Deo pœnas sceleribus irrogante: misericordiæ & pietatis, quòd populum suum ita protegat, & tueatur, vt illius causa, in stuporem coniiciat gentes, quæ in perniciem populi sibi dilecti incumbentes, bellum machinantur.

Vers. 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom: robustos Moab, &c.*

Deus ad superbiæ supplicium, terrorem immisit in hostes populi Hebræi.

ANNOTATIO II.

I. Nihil est, vt sæpe diximus, quod magis declaret Dei maiestatem, quàm vltio diuina, quæ superborum deiicit tumorem. Hoc cùm alia exempla declarant tum illud maximè, quod habetur 4. Reg. 19. vbi, in superbum Sennacheribum, Assyriorum Tyrannum, Ezechiæ Regi & Hierosolymitanis crucem & extrema damna, contempta Dei in populum suum prouidentia, mi- *4. Reg. 19.*

nitantem: admirabili prodigio animaduertit. Sic enim habet Scriptura: *In nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia:* & infrà narratur quo pacto Tyrannus, videns formidandam suorum stragem, reuersus est Niniuen, vbi à duobus filiis suis, regnandi cupiditate incensis, percussus gladio interiit.

Angelus percussit castra Assyriorum.

Percussus est à Deo Sēnacherib. ob literas cōtumeliosè in Deum & Regem scriptas.

II. Hac pœna mulctatus est superbus Sennacherib. qui præter alias elati animi significationes, hanc quoque edidit: Scripsit nanque, rebus secundis insolescens, ad Ezechiam literas, dignitati regiæ, populo, & ipsi Deo contumeliosas. Quas cùm legisset Ezechias, opertus est sacco, & ingressus est in domum Domini, *Ascendit,* (inquit sacer Historicus) *in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit in conspectu eius &c.* Audiuit Deus preces Regis, submissè & humiliter de se sentientis: tulitque extremi supplicij, contra Tyrannum insolenter se offerentem, sententiam.

Oratio Ezechie se humiliantis Deo grata fuit.

Exod.15.

III. Illud autem supplicium planè terrificum est, & diuinam extollit potentiam: quo vel procella in mari, vel somniis in terra, vel acri impendentium malorum metu, vbique superbos de statu deiicit. An non deiecit in mare superbum Pharaonem, qui dicebat Exod.15. *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea:* procellosa nube è cœlo immissa? Tumescebat adhuc Rex, & illius satellites. *Ecce tibi* (inquit Iosephus ad finem lib.2.Antiq.) *descendens ventorum procella, imbresq́; simul è cœlo pariter descendentes, & tonitrua grauissima, coruscationésque labentes, & fulmina omnes comprehenderunt Ægyptios, noxiésque caliginosè & fluctuosè mare apprehendit. Et isti quidem, ita sunt perditi, vt nemo ex Ægyptijs relinqueretur.* Hæc Iosephus. Sacræ literæ hoc magis exprimunt in hoc cantico: *Flauit spiritus tuus:* vel, vt legit Vatab. *Vento tuo flasti,* vel *sufflasti, & operuit eos mare.* Vno flatu Deus omnem disturbat mundi superbiam: vt sæpe annotauimus.

Ioseph. Antiq.

Vatab.

In sōno Deus sæpe ad humilitatem superbos erudit.

Iob 33.

IV. In somniis etiam solet Deus ad humilitatem superbos erudire. Vnde Iob 33. *Tunc aperiet aures &c. vt auertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum de superbia.* Vbi vides Dei voluntatem non tam ad punienda peccata procliuem, quàm ad emendanda & corrigenda vitia propensam. In eo enim tota est, vt conuertatur impius ad saniorum mentem. Eò minas omnes atque terricula confert, vt nos à flagitiis auocet. Agit Iob de diuina prouidentia, multis modis, etiam in somnis, corrigente impios, eos præsertim, qui in culpa sunt, quibus inest diuinæ legis contemptus aliquis, & impudentissima humanæ voluntatis contra Deum elatio. Ita interpretatur D. Gregorius particulam: *Et liberet eum de superbia:* Nam, vt dicitur Ecclesi. 10. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius: quoniam initium omnis peccati est superbia, &c.* quam expositionem sequitur Lyranus, Hugo, Dionys. Carthus, & alij. Quare non est dubitandum moris esse diuinæ prouidentiæ, immissis de nocte somniis, & terriculis superbissimorum hominum comprimere elationem: vt accidit Nabuchodonosori, & Balthasari, interprete Daniele, vt ipse refert cap. 4. *Donec sciant,* inquit, *quòd dominetur excelsus super regnum hominum; & potestas eius potestas sempiterna.* Facit ad hanc expositionem Hebræa litera, quæ pro, *Et liberet hominem à superbia:* habet, *Vt abscindat ab homine superbiam;* id est, vt humiliet eum.

Ecclesi.10.

Lyra. Hugo. Dionys. Carthus.

In sōno Deus superbos terret.

Daniel.4.

V. Iam

V. Iam moris est diuini (id quod tertio loco proposuimus) obiicere, & quasi ante oculos ponere insolescentibus, quæ conferre possunt ad illorum comprimendam iactantiam:vt videntes nihil superesse, vnde superbire possint, conterriti resipiscant. Hac arte vsus est etiam cum populis, qui hostes erant Hebræorum,vt liberaret eos, *si mens non læua fuisset*,à superbia, ac proinde à supplicio.Vix enim vllum est vitium,cui Deus ita opponatur. Hoc significant illa verba: *Ascenderunt populi,& irati sunt.* In Hebræo: *Audierunt populi, & contremuerunt.* Hi tremores satis erant ad pernoscendam Dei maiestatem, & ad humanam superbiam frenandam. Humiliatio namque,licèt non satis sit ad iustificationem impij,placet tamen Deo : imò interdum efficit, etiam cùm ficta est, vt supplicium iam iam imminens remittatur. Cuius rei exemplum habes 3.Reg.21.vbi,Deus inquit,*Nonne vides humiliatum Achab?*

Compressit Deus iactantiam superborum, vt resipiscerent, si vellent.

Virg. Egl.1.

Vel ficta humiliatio placet.

3.Reg.21.

VI. Cùm igitur populi,Hebræorum hostes, in Dei contemptu perstiterint;nihilque quamuis contremuerint, pro sano fecerint:diuinam vindictam, superbis incumbentem,quam hîc Moses præcinit,experti sunt : è radice namque superbiæ,fructus supplicij erumpit:atque hæc est virga, vtplurimùm,verberibus superbo inferendis,quàm aptissima. Ezechielis 7. dictum est : *Egressa est contritio,floruit virga, germinauit superbia:surrexit in virga impietatis.*Quasi dicat:Egressa est pœna,veluti erumpens in arbore gemma:floruit ramus, vt instrumentum sit verberum superbiæ : quæ verbera superbiæ, germina sunt & fructus iniquitatis. Pro,*Surrexit in virga impietatis.* 70. Interpret.habent, *contumelia surrexit.* Est enim ignominia,valde idonea superbiæ pœna. Hinc fit vt diuina prouidentia annuente,incidant plerique,suę virtuti nimium præfidentes,in peccata aliqua,quæ manifestam continent ignominiam : vt, vel hac ratione,humiles reddantur:& si eo medicamento adhibito,non resipuerint,puniantur grauiùs.Occultam superbiam Deus aliquando punit manifesta impudicitia.Quod admonet Greg.Magnus Mor.26.cap.12. *Sic sic*,inquit, *elati iusta fuerant punitione feriendi,vt quia superbiendo,se hominibus prætulerunt;luxuriando,vsque ad iumentorum similitudinem deuoluantur.*Hæc ille.Quod confirmat ex Philosophis,quos scientiæ pœna subleuauerat;humiliati tamen,sunt ab ea elatione deiecti vsque ad iumentorum immunditiam. Vnde dicitur, *Tradidit illos Deus in desideria carnis,in immunditiam, &c.* Quid speras futurum de Amalechitis,Edomitis,Moabitis,& cæteris,qui audita fama miraculorum, quæ Deus patrauerat,exemplo Rahab,conuerti ad verum vnius Dei cultum, ex ethnica superstitione,potuerunt? Sanè absque vllo fructu, quidquid in Hebræos molientur,euadet. De vnoquoque illorum dici potest illud Psalm.7. *Conuertatur dolor eius in caput ipsius,& in verticem ipsius iniquitas eius descendat*:hoc est, afflictio,studium,& conatus nocendi aliis:impium ipsum,talia machinantem potiùs quàm iustos lædet.Sic in caput Aman recidit, quod Iudæis parabat damnum. Esca leonibus fuerunt Persæ,Danielem famelicis leonibus obiicientes. Deuorauit ignis Babylonios Satrapas, extrudẽtes in fornacem ignis tres pueros Hebræos.

Ezech.7.

Superbia fructus supplicium est.

Humiliantur superbi manifestatione alicuius culpa pudenda.

70. Interp.

Greg.P.

Roman.1.

Iosue 2.

Psal.7.

In caput auctorum maleficij, recidit pœna.

Hest.7.

Daniel. 6.

Dan.3.

VII. Porrò, causa, ob quam non sunt ad Deum vnum & verum profitendum ex impietate conuersi, audita cœlestium prodigiorum fama, ea assignari,præter cæteras,potest:quòd à vitiis, quibus erant inquinatissimi, etiam dum Dei facta trepidè audiebant, noluerunt auocari. Sunt enim quædam vi-

Vitia, quibus Amorrhæi erant addictissimi, in causa fuerũt, ne conuerterentur auditis miraculis.

tia; præsertimque superbia; & carnis illecebra; quæ inducunt ad desperationem, aut difficilem saltem reddunt, ad Deum conuersionem. Quod significauit Oseas 5. in Ephraim, & Israël prouocantibus Deum ad vindictam: sic enim ait, *Quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israël. Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Et respondebit arrogantia Israël in facie eius, &c.* Ac si dicat: Scio opera eorum, etiam superbiam occultam (quæ idololatria quædam est) & immunditiam: (vtraque enim fornicatio est) nullo modo imperare animo suo, aut persuadere sibi volent, vt à sui cultu, & quasi idololatria, & immunditiis abstineant. Ita eos occupauit spiritus vtriusque vitij. Statuerunt prorsus à vero Deo, quem contemnunt, recedere, illiúsque mandata negligere.

Osea 5. Vix conuertuntur ad Deum scortatores.

Osea 5. Humiliatio superbiæ, est pœna illi inflicta. Hieronymus. Genes. 31. Metaphora.

Addit Oseas: *Et respondebit arrogantia, &c.* Hoc est: non abibit impunè; humiliabitur eius superbia, vt exponit Hieronymus, significans pœnam pro peccato inflictam, esse ipsammet responsionem, quæ culpæ debetur: sicut boni operis responsio, fauor Dei est, & beneficium, seu remuneratio, quæ bono operi accedit: iuxta illud Gen. 31. *Respondebitq́; mihi cras iustitia mea, cùm placiti tempus aduenerit.* Metaphora sumitur à rusticis, quibus terra, prout culta est, & seminata; ita respondet benignitate fructuum, aut malignitate: quod expressit Poëta Latinus:

Virg. Georg. 2.

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ, quæ bis solem, bis frigora sensit.

Galat. 6. Chald. paraphr.

VIII. Et Apostolus ad Galat. 6. *Quæcunque seminauerit homo, hæc & metet.* Particula, *à facie eius*, idem est atque *ipso cernente.* Chald. Paraphr. *Deprimetur gloria Israël ipsis cernentibus.* Theophylactus: *Apertè*, inquit, *videbunt, qualis sit impietatis fructus, & superbia.* Porrò vocabulum, pro quo nos habemus, *arrogantia*, 70. Interpretes, & Symmachus vertunt, *iniuria.* Et meritò; superbia enim, qua peccator se à Dei obedientia subducit, iniuria est Dei. Vnde apud eundem prophetam cap. 7. *Et humiliabitur superbia Israël in facie eius.* Sic 1. Reg. 28. Superbia Saulis, qui obedire Deo toties recusauit, humiliata fuit, dum impendentem belli procellam timens, adiuit Pythonissam, vt magicis excantationibus Samuelem demortuum suscitaret. Permisit autem Deus, vt verus Samuel appareret: quemadmodum colligitur ex Ecclesiastici cap. 46. ait enim Scriptura: *Dormiuit, & notum fecit regi finem vitæ suæ.* Quod etiam apertè asserit D. August. in lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 15. *Samuel*, inquit, *propheta, defunctus, viuo Sauli futura prædixit*: quamuis nonnulli putent, non ipsum fuisse, qui potuerit magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum, illius similitudinem figurasse. D. Augustinum sequitur D. Thom. 1. p. q. 89. art. 8. ad 2. dum docet quòd si autoritas Ecclesiastici recipitur (vt reuera hodie recipitur) non esse dicendum illam apparitionem, fuisse procuratam per dæmones. Permisit ergò Deus, vt verus Samuel ostenderetur, non quidem per Pythonissam euocatus efficaciter, id est virtute magicæ artis: Sed duntaxat occasionaliter, hoc est, occasione Saulis, consulentis veneficam, exercentem suam artem, ad maiorem videlicet gloriam Samuelis, & acerbiorem Saulis pœnam. Quare apparitio illa ascendentis è terra, & euocati Samuelis, à Deo facta est, Angelorum ministerio, vt superbus Saulis animus, qui preceptum Dei, de non consulendis diuinis & ariolis, contempserat, ibi puniretur, vbi deliquerat, nec

Superbiam Symmachus interpretatur Dei iniuriam. Osea 7. 1. Reg. 28. Verus Samuel apparuit Sauli. Eccl. 46. D. Augustini opinio. D. Thom.

Angelorum ministerio apparuit Samuel coram Saule.

dubitaret de pœna inferenda die ſequenti, Deo ſuperbiam illius refutante, cùm videret à vero Samuele prædici futuram exercitus ſui cladem. *Cras*, inquit, *Samuel, tu, & filij tui mecum eritis.* Queſtus deinde eſt, de Saule impiè ſolicitante hanc euocationem. *Inquietaſti*, inquit, *me*: hoc eſt, feciſti, vt relinquerem locum meum, qui ſecundùm diuinam prouidentiam, mihi, & Sanctis Patribus vſque ad Meſſiæ aduentum deſtinatus eſt. Maneat ergò; Dei proprium eſſe

Saul, ibi punitur vbi deliquit.

Benedictus Pereira in cap. 7. Exodi Diſſ. 8.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

IX. Expugnat autem ſuperborum faſtoſas ſola inanitate, turres, ipſóſque ſuperbos, procellis, fulgoribus, terriculis, & interdum permiſſione lapſuum in culpam, quæ ruborem iniiciat, & omnem elati animi deprimat tumorem.

Verſ. XVI. *Irruat ſuper eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui.*

Allegorica expoſitio, exprimens Chriſti potentiam contra diabolum, & tyrannos in fidem Euangelicam inſurgentes.

ANNOTATIO III.

I. ORigenes homil. 6. ſuper Exodum enarrans illa verba cantici, *Aſcenderunt populi, &c.* affirmat, hoc vaticinium ſpectare ad tempus legis gratiæ: in quo inimicæ poteſtates poſt lauacrum baptiſmatis, & crucis triumphum, deterritæ ſunt, & formidare cœperunt eos quos vident Chriſti protectione, & ſanguine inſignitos. Philiſtini, inquit, id eſt, *cadentes populi*: & Edom, qui interpretatur *terrenus*, trepidant: & horum omnium principes curſitant, & pauent conſtricti doloribus: cùm vident regna ſua, quæ in inferno ſunt, penetrata ab eo qui deſcendit ad interiora terræ, vt eriperet eos qui poſſidebantur à morte. Hinc eos comprehenderunt timor, & tremor, quia ſenſerunt magnitudinem brachij eius. Hinc etiam tabuerunt inhabitantes Chanaan; qui mutabiles interpretantur, & mobiles ſunt, cùm vident moueri regna ſua, alligari fortem, & vaſa eius diripi. Et poſt pauca: *Quid timent dæmones? Quid tremunt? ſine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt: in qua eruti ſunt principatus eorum, & poteſtates.* Timor ergò, & tremor cadent ſuper eos, cùm ſignum in nobis viderint crucis fideliter fixum: & magnitudinem brachij illius, quod Dominus expandit in cruce, ſicut dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Non te ergo aliter timebunt, niſi & tu potueris dicere: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, &c.*

Origenes.

Philiſtini. i. cadentes populi.

Edom. i. terrenus.

Chriſtus terrorem iniecit diaboli miniſtris.

Chananæi, i. mutabiles.

Dæmones timent Chriſti crucem.

II. Rupertus de operibus Trinitatis, lib. 2. cap. 37. in Exodum: timores & formidines principum barbarorum accommodat tyrannis Dei ſeruos perſequentibus. *Edom*, inquit, *terrenus*, vel *ſanguinolentus*: Et *Moab*, quod interpretatur, *ex patre*, ſubauditur, *diabolo*: *Chanaan* quoque, quod interpretatur, *commotio*:

Rupert. Chriſtus iniecit formidinem tyrannis martyres perſequentibus.

Phili

Philiſtijm,quod interpretatur,*potione cadentes*:omnes illos, & nominibus ſignificauerunt,& factis ſuis præfigurauerunt,qui, Chriſto victore coronato, gloriam eius, cœlis enarrantibus, atque in omnem terram exeunte ſono Apoſtolorum eius, victi diaboli cauſam quaſi tuendam ſuſceperunt: & ſpiritu eius inflammati,in omnes in Chriſto credentes aſcenderunt,& irati ſunt,&c.

Beda. Exod.15. Philiſtini,id eſt,cadentes, ſignificant dæmones.

III. Beda quoque in caput 15. Exodi, ad Chriſti Domini potentiam refert,quæ hîc commemorantur de principibus,fama miraculorum à Deo in fauorem populi ſui exhibitorum,metu perculſis. *Philiſtini*,inquit,id eſt, *cadentes poculo*; *Edom*,qui interpretatur *terrenus*,trepidauit:Et horum hominum principes:id eſt, dæmones curſitantes pauent conſtricti doloribus, cùm vident regna ſua quæ in inferno ſunt, penetrata.Hæc Beda,& alia,quę ex Origene mutuatus eſt.

Fiunt dæmones Chriſti præſentia immobiles quaſi lapis,ne bene currentibus iuſtu nocere poſſint.

IV. Oſtendit allegorica hæc Patrum expoſitio incuſſam fuiſſe formidinem inferni principibus,& mundi tyrannis,paſſim audito, & populorum approbatione ſuſcepto crucis myſterio.Ac proinde diuini brachij,hoc eſt,Chriſti Dei & hominis potentiam,in ſtuporem impios conuertiſſe:quibus imprecatur Moſes,vt fiant immobiles quaſi lapis:nempe, vt mobilibus, & bene ad Deum currentibus,nocere non poſſint,inquit Rupertus.

Verſ. XVI. *Fiant immobiles quaſi lapis,donec pertranſeat populus tuus, Domine.*

Expoſitio myſtica, & moralis horum verborum, *Fiant immobiles quaſi lapis.*

ANNOTATIO IV.

Imprecatio.

I. ORat Moſes vt oppugnatores populi Dei, & qui viam bonorum ad æternam vitam ſpectantem,impediunt, fiant immobiles quaſi lapis.

Origenes.

Vbi,vt bene annotauit Origenes loco citato: non dictum eſt abſolutè, *Fiant immobiles quaſi lapis*,ſed tempus ſtatuitur, & menſura condemnationis decernitur;ait enim: *Donec pertranſeat populus tuus Domine*,& non vltrà.In quo Origenes Prophetiæ aliqnid latere putat. Video,inquit, quòd prior populus, qui fuit ante nos,factus eſt tanquam lapis durus, & incredulus: veruntamen non eatenus,vt in lapidis natura permaneret,ſed donec pertranſiret populus,quem

Rom. 11.

Dominus acquiſiuit. *Cæcitas enim*(vt Apoſtolus ait ad Rom. 11.) *ex parte contigit in Iſraël ſecundùm carnem, donec plenitudo gentium ſubintroiret. Cùm enim plenitudo gentium ſubintrauerit;tunc etiam omnis Iſraël,qui, per incredulitatis duritiem,*

Reliquiæ Iſraël ſaluæ ſunt.

factus fuerat lapis,ſaluabitur. Et vis videre quo modo ſaluabitur? *Potens eſt*, inquit, *Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Manent ergo lapides nunc, donec pertranſeat populus tuus Domine:populus tuus hic,quem acquiſiuiſti. Hæc Orig.

Rupert.

II. Latere etiam hîc myſticè ait Rupertus loco citato,populi Chriſtiani cum Hebræo comparati, præfigurationem, in repetitione populi bis poſiti, præter ſermonis,qui canticum reddit ſuauius,ornatum. In myſterio, inquit,

placet,

placet, si post priorem Hebræorum populum, sequentem quoque gentium intelligere velis, quem suo sanguine emptum ductor Christus possedit, Patre dicente: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hæc ille.

Psalm. 2.

III. Venerabilis Beda ad eundem sensum trahit allegoriam horum verborum, *Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat &c.* Hac namque visum locutione Mosem arbitratur; non quia verterentur in lapides homines, sed quia essent immobiles, vt lapides, nec valentes persequi quem vellent occidere, nec fugere, quem timerent. Deinde addit: Spiritualiter autem per hoc significari, quod populus Iudæorum esset velut lapis permanens in duritia, donec gentium cœtus, Christianus factus est populus. Hæc Beda.

Beda.

Vers. XVI. *Donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.*

Quonam modo Deus dicatur possidere: vel, vt septuaginta interpretes, & Vatab. legunt, acquirere populum, cum omnia illius subdita sint potestati?

ANNOTATIO V.

I. CVm vnusquisque illud videatur acquirere, quod non fuit suum: quæritur, quonam pacto Christus, cui Pater omnia tradidit, nedum regnorum terræ principatum, homines sibi dicatur acquisiuisse? Fuerunt namque hæretici, vt refert Origenes homil. 6. super cap. 15. Exodi, qui dicerent, non fuisse Christi eos quos Christus sanguine suo acquisiuit: atque adeò dato pretio mercatum fuisse homines, quos creator fecerat; & certum est, aiunt, vnumquemque non illud emere, quod suum est. Apostolus enim ait, *Empti estis pretio magno.*

Origenes. Exod. 15. Hæretica quorundam opinio circa redemptionis mysterium. 1. Cor. 6.

II. Cæterùm, quæstione de modo redemptionis, quæ tota scholastica est, & valde celebris, quia alibi commodiùs tractabitur, omnino prætermissa: id solùm recordari satis erit, quod nos Christo Domino reddit valde obligatos: nempe peccatorum nexu genus humanum diabolo fuisse astrictum: à quo nos Christus morte sua, tyrannide diaboli triumphata, exoluerit, &, quasi pretio repræsentato, sanguine suo redemerit, iustitiæ diuinæ satisfaciens: quis dubitare potest, nisi hæreticus sit, nos ab illo fuisse à misera seruitute peccati vindicatos, & acquisitos, tanquam rem, & hæreditatem suam? Audi, inquit Origenes: *Peccatis vestris venundati estis, & pro iniquitatibus vestris, dimisi matrem vestram.* Editio vulgata ita habet: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris, dimisi matrem vestram.* Deinde subiungit Origenes: Dei igitur sumus, secundum quod ab eo creati sumus. Effecti verò sumus serui diaboli, secundum quod peccatis nostris venundati sumus. Veniens autem Christus redemit nos, cùm seruiremus illi Domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus. Hæc ille: significans, Dei Filium tanquam suos quidem recepisse, quos creauerat: tanquam alienos verò acquisiuisse, quia alienum sibi dominium errore siue peccato acquisiuerant.

Genus humanum, peccatorum nexu, diabolo fuit astrictum.

Origenes. Isa. 50. Venditi in sceleribus peccatores. Isa. 50.

III. Illud ingeniosè aduertit Origenes quod concionibus ad peccati de-

Origenes.

Diabolus nummo peccati emit quos seruos habet. Huiusmodi nummus est furtũ, & quoduis peccatum. In quouis peccato tanquam in nummo, quo peccatores emit, diaboli imago est. Peccatum census est diaboli. Origenes. 3.Reg.21.

testationem inseruire potest: Nempe, non solùm Christum nos redemisse pretio; sed etiam diabolum, pretio emisse quos seruos habuit. Illius verba sunt, homicidium pecunia diaboli est; ille enim ab initio homicida est. Fecisti homicidium? diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium? diaboli pecunia est; diaboli enim in eo imago est, & superscriptio. Commisisti adulterium? accepisti diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia; hæc omnia diaboli census est, & diaboli thesaurus. Talis enim pecunia, de eius moneta procedit. Hac igitur pecunia emit ille, quos emit, & efficit sibi seruos omnes, qui de huiusmodi censu eius quantulumcúnque susceperunt. Hæc ille. Poterat Origenes numerare inter eos, qui à diabolo accepta pecunia empti sunt, *Achab regem Israël, qui venundatus est, vt faceret malum*; & innumeros alios, qui veluti mancipia ad omne scelus trahi se à diabolo, cui seruiunt, patiuntur.

Origenes. Quidã occultè accipiunt censum diaboli, & illius serui fiunt. Matth. 13.

IV. Timet Origenes loco citato, ne plerique inter Dei seruos sint, qui si non publicè, saltem occultè, censum diaboli accipiant, illiúsque serui fiant. Ego vereor, inquit, ne etiam aliquos de stantibus, quos nescimus, diabolus mercetur occultè, ne etiam aliquibus nostrûm, hanc pecuniam, quam suprà memorauimus, ingerat, & faciat illos rursum suos; & rursum, pro eis tabulas seruitutis, & peccati chirographum scribat, atque immisceat seruis Dei eos quos peccati pretio, sibi fecerit seruos. Solet enim, quia inimicus homo est, tritico miscere zizaniam. Hæc ille: commendans iis, qui tali pecunia decepti sunt, & in diaboli seruos abierunt, pœnitentiam, & lacrymas. Sic enim emptos à diabolo Christus redimet, & sibi acquiret. Hinc ergo nemini iam dubitandi ansa relinquitur, quo modo Deus, quæ sua sunt, dicatur acquirere; & quos, vilissima peccati mercede, diabolus emerat, ipse pretioso Christi sanguine redimere existimetur.

Vers. XVI. *Irruat super eos formido, & pauor &c.*

Similem esse hanc imprecationem illi, qua sceptris Ægyptiorum, vt refert Habacuc cap. 3. Deus maledixit.

ANNOTATIO VI.

Iosue 6. Imprecatio cõtra ædificatorem Hiericho. Rabbini in Synedrio. R. Izimhi. R. Moses Maymonius.

I. MAgnorum virorum imprecationes effectum sortiri, indicant verba, quibus Iosue cap. 6. maledixit ei qui euersam Hiericho vellet ædificare: *Maledictus, inquit, vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius*. Quem locum Rabbini in Synedrio cap. 11. sic explicant: Neque hanc vrbem instauret quispiam, alio ei imposito nomine: neque aliam vrbem hoc nomine struat. Laudat hanc interpretationem R. Izimhi. Sed R. Moses Maymonius putat, Iosue hac imprecatione id egisse, vt æternum existeret monumentum diuinæ potentiæ, & vindictæ: quod in muris, qui subter se desederant, conseruabatur. Quandiu enim locus ruinæ non eruderebatur, tandiu manebat miraculi memoria. Nam locum ipsum non fuisse per se execrandum & detestabilem, argumento est quòd, etsi pessimè ei cessit, qui diras

istas,

istas, quæ à Iosue obnuntiatæ sunt, neglexit, vt constat ex 3. Reg. 19. ipsa tamen semel instaurata vrbs commodam deinceps hominibus præbuit habitationem. Neque ab Helia, aut Eliseo euitata est; imò Christus ipse, miraculis eam decorauit. Quod sequitur; *In primogenito suo &c.* hanc habet sententiam. Quisquis olim conatus fuerit, vrbem istam instaurare: id ei in liberorum suorum omnium cedat exitium. Quàm dira autem res sit orbitas, quam imprecatur Iosue instauraturo Hiericho; æstimari potest ex benedictione, quâ Deus eos qui se ritè colunt, bonorum liberorum multitudine, veluti beat, & felicitat illis verbis; *Filij tui, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ*, & ex aliis sacræ Scripturæ locis. Quid operata sit maledictio, qua Noë filium suum Cham, & Chanaan nepotem deuinxit, ex cap. 9. lib. Gen. manifestum est.

3. Reg. 19. Christus decorauit miraculis Hiericho. Orbitas filiorũ supplicium est parentibus. Psalm. 127. Gen. 9.

II. Porrò, similem esse hanc mortis imprecationem in Chananæos iactatam, illi qua Deus Pharaoni, & Ægypti principibus, in perniciem populi sui armatis, maledixit; ille versus cantici Habacuc indicat: *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.* Etenim cùm Ægyptij Israëlitas, eremo, mari, hostiúmque copiis obsessos, nullo se negotio opprimere posse, & quasi deuorare crederent (exultatio namque eorum, sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito) Tu Domine, inquit Propheta, maledixisti sceptris eius: hoc est, perdidisti funditus omnes principes, qui ius sceptri habebant; vniuersósque duces, ac capita exercitus: sceptri vocabulum (vt id quoque notore fiat) per metonymiam, pro principibus positum est. Olim quippe vniuersi principes ac magistratus sceptra gestabant. Vnde fortè quidam duodecim virgas præter virgam Aaronis quas Num. 17. tulit Moses, & in tabernaculo fœderis posuit coram Domino: vt germinatione virgæ vnius ostenderet Deus, quem eligeret in sacerdotem, fuisse sceptra arbitratur. Sic enim ait sacra historia loco citato;

Habacuc 3. Quid sit maledicere sceptris Ægypti, & capiti. Metonymia. Magistratus olim sceptra gestabant. Num. 17. De virgis Abulens. ibid. q. 7. 8. 9.

III. *Loquutusq́; est Moses ad filios Israel; & dederunt omnes principes virgas per singulas tribus*, id est, *singuli tribuum principes; dederunt sceptra sua.* In lib. quippe Numerorum eadem est vox Hebræa מטות pro *virgis*, quæ in hoc vate pro *sceptris*. Erat, & virga Ionatæ, quam intinxit in fauum mellis 1. Reg. 14. sceptrum, vt in fonte videre est. Porrò, gestasse, non solùm Agamemnonem Argiuorum regem, sceptrum, sed Achillem quoque, & Telemachum, Vlyssem, & omnes ferè Græci exercitus duces, notum est ex Homero. Atque, vt alia omittam exempla, virgam Vlysses esse suum sceptrum indicat, cùm importunum Thersiten eò percutit: sic enim scribit Homerus:

1. Reg. 14. Duces Græci exercitus apud Homerũ sceptris vtũtur. Homerus

Sceptro nam percubit aureo,
Terga humerósque viri &c.

Ioseph quoque patriarcha, quia Ægypti præses pro rege erat, sceptrum gestauit: quo ad patrem protenso, iuramenti sacrosanctam interposuit religionem. Iuramentum verò accipiens pater, virgæ summitatem adorauit. Vbi enim Latina editio habet: *Quo iurante, adorauit Israël Dominum*: 70. Interpr. vertunt: *Et iurauit ei, & adorauit Israël summitatem virgæ eius.* Sicut ergo Deus Ægyptiorum principibus, ne Israëlitis nocerent, maledixit, sceptra damnans, & capita: ita Moses Chananæorum principibus malè precatur, dicens, *Irruat super eos &c.*

Hebr. 11.

CANTICI MOSIS SECTIO IX.

Verſ. XVII. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ: firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

Pagnin. non diſcrepat à vulgata editione.

Vatab. *Introduces eos &c. ad habitaculum manſionis tuæ: quod tu paraſti Domine: ad Sanctuarium Domini, quod manus tuæ firmauerunt.*

70. Interp. *Introducens planta eos in monte hæreditatis tuæ, in paratum habitaculum tuum, quod operatus es Domine: Sanctuarium Domine, quod parauerunt manus tuæ.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. PAraphraſis. Populum tuum introduc Domine in terram promiſſam, per medios hoſtes illæſum. Introductus verò, fac tua virtute vt altiſſimas agat radices, plantarum more in montoſa illa regione, quam inſtar hæreditatis tuæ delegiſti: & tanquam firmiſſimam habitationem iam olim ad hunc vſum paraſti, vt in medio populi tui habitares. Illud autem intelligo ſanctuarium, quod ita ſibi ſtabile reddidit omnipotens virtus tua, vt nulla hoſtili incurſione illud ſit amiſſurus.

II. *Introduces eos, & plantabis,* Hoc eſt: vi diuina ductabis, & ad plantarum ſimilitudinem, facies nos radices in terram iacere: vt quamuis inde non ſimus oriundi: ſimus tamen tuo beneficio plantarum inſtar, firmi, & tanquam natiuo ſucco ſtabiles. Sumpta eſt metaphora à colonis, qui plantas aliunde allatas, culturæ beneficio, vberes in ſuo horto reddunt & felices. Vnde Latinus Poëta varios modos aſſignans quibus arbores pubeſcunt, ſic ſcribit: *Virg. Georg. 2.*

Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit aruo.

Et infrà:

Syluarumque alia, preſſos propaginis arcus
Expectant: & viua ſua plantaria terra.
Nihil radicis egent alia &c.

Hebræi ex Ægypto translati in terram promiſſam, nihilo meliores effecti ſunt. Sperandum autem erat, vt tranſlati ex Ægypto Hebræi à ſummo colono Deo, & in terra promiſſionis plantati, meliores fierent, ſicut malus Perſica. Ea enim in Perſide, vnde ad nos tranſlata fuit, venenata eſt: & eo conſilio in Europam miſſa dicitur, vt veneno noceret. In Italia tamen, mutato ſolo, naturam etiam mutauit. Hinc Columel. *Columel.*

Malus Perſica, venenum, in Italiā translata amiſit.

Pomis, quæ barbara Perſis
Miſerat, vt fama eſt, patriis armata venenis:
At nunc expoſitis paruo diſcrimine lethi
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.

Pierius Valer. Lib. 54. Vide Pierium Valer. lib. 54. Hieroglyph. Iudæis Deus, mutato ſolo, & cœlo,

more

more medicorum, qui desperatis morbis mederi solent, captiuitatibus sæpe medicinam adhibuit, vt pietatem colerent. Theod. in illud Psal. 77. *Cum occideret eos, &c.* ait non frustra à misericorde Deo compedes Iudæis inductas, Nam supplicijs affecti, ad Deum clamantes accesserunt. Græcus quoque interpres anomymus in illud Exod. 1. *Venite, sapienter opprimamus eum*; Deum afflictari permisisse filios Israël, vt Ægyptiorum Deos odio haberent, & alacriùs ex Ægypto exirent; quod non fecissent aliter cùm in Ægypto diuites essent, &c.

III. *In monte hæreditatis tuæ.* Terram promissam, à montibus describit: tum, quia illustrior pars, montana est; tum, quia montes, illustrationibus diuinis, & mysteriis magis quàm cæteræ partes, in illa regione nobilitati fuerunt. Hæc autem regio mons hæreditatis Dei est, quia ad habitationem Israëlitici populi, in hæreditatem Dei, singulari beneficio, cuiusdam quasi primogenituræ prærogatiua electi; cæteris fuit antelata, vt dicitur Exodi cap. 4. Notanda est in verbo, *plantandi*, firmitas. Quæ enim plantata sunt, & in terram depacta, humorem, in ramis & foliis virentem, ab radice ebibunt; ac proinde difficilè euelluntur. Dicitur autem specialiter, mons hæreditatis diuinæ Moria, quia quandam quasi portionem hæreditatis diuinæ continere videtur; dum ad templi ædificationem, in quo colendus est Deus, inseruire prædicitur.

Terra Chanaam cæteris fuit antelata, vt sedes esset populi Dei. Exod. cap. 4.

Moria mons hæreditatis diuinæ.

IV. *Firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Hoc est, in sede, quam fecisti, vt illic habites. Alij ita vertunt, *habitaculum mansioni tuæ fecisti Domine.* Alij, stabilitate habitaculi tui, quod tu parasti Domine. *Machon* enim significat *firmitatem, basim, habitationem, & sedem.* Chaldæus Paraphr. *Locum domus maiestatis tuæ præparasti Domine.* 70. Interpr. *in ἕτοιμον κατοικητήριόν σου.* Id est, *ad paratum habitaculum tuum.* Lipoman. in Catena in Exod. enarrans hunc locum, putat eundem esse montem Moriam, & Sionem: quod alibi, an verè id dixerit, examinabimus: interim duplicem eiusdem montis verticem, his nominibus accipe cum Euthymio, & Lipomano, quibus subscribit Aranda in descriptione terræ sanctæ cap. 3.

Chal. paraph.

70. Interp.

Lipomanus. Moria & Sion idem mons est, duplici vertice assurgens. Euthymius. Lipomanus. Aranda.

V. *Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Vt congrua sit sententia, subintelligenda est particula, *nam*, vt sit sensus: Nam, templum firmabunt, siue parabunt, manus tuæ, ô Domine! hoc est, præcipies tibi ædificari templum in sede illa, & loco, in quo habitare decreuisti.

Vers. XVII. *Introduces eos, & plantabis in monte, &c. firmissimo habitaculo tuo.*

Dicatúrne templum Hierosolymitanum firmissimum Dei habitaculum.

ANNOTATIO I.

In Moria futurum erat firmissimum Dei habitaculum, si Iudæi impij non forent.

I. PLerique dubitant quonam pacto dici possit, in terra promissionis, hoc est, in monte Moria, vbi ædificatum fuit templum, fuisse Dei firmissimum habitaculum, & sanctuarium: cùm tot iam retro seculis, videatur Deus

 locum

locum illum, Iudæis inde pulsis, & templo euerso, deseruisse? Cæterùm dubitatio tollitur, si subeat animum, in prophetia hac, quemadmodum & in aliis, vt annotat Caietanus in caput 15. Exodi, contineri conditionem, nempe; prædictionem implendam esse, Iudæis in legitimo Dei cultu, & veneratione perseuerantibus: à qua conditione, cùm illi impiè recessserint, mirum non est, cessasse promissionis effectum.

Caiet. Exod. 15.

Prædictiones de templi perpetuitate, intelliguntur adimplendæ, Iudæis in legitimo Dei cultu perseuerantibus.

II. Alia solutio difficultatis erit, si dicas, prædici hoc loco, firmissimum Dei habitaculum in monte Moria futurum, hoc est, templum; quia ibi longiori tempore, quàm in aliis locis; Dei cultus, & religio perseuerauit. In aliis quidem locis, in quibus arca fœderis fuit, non ita multo tempore perstitit. Nam, post Hebræorum in terram promissam ingressum, erecto tabernaculo, fuit in Silo, vt annotauimus Iosue 18. per annos ampliùs trecentos; hoc est, vsque ad mortem Heli sacerdotis. Dicebatur autem Deus ibi habitare, vbi illius arca erat. Deinde apud Philistæos mansit septem mensibus: donec ab eisdem, à quibus capta in bello fuerat, reducta: & in domo Aminadab collocata; permansit in ea sede annis circiter quinquaginta, hoc est, vsque ad octauum annum regni Dauid. Tertiò, tribus mensibus fuit in domo Obededom. Quartò translata inde fuit in ciuitatem Dauid, hoc est, in montem Sion, vbi mansit annos 42. donec delata fuit in templum à Salomone ædificatum, anno regni illius vndecimo. Quintò, certum est, ab anno Salomonis vndecimo, postquam regnare cœpit, mansisse arcam in templo, per annos viginti supra quadringentos, hoc est, vsque ad captiuitatem Babylonicam Sedechiæ: quo tempore 2. Machab. 2. legitur, tabernaculum Domini, & arcam; & altare incensi, ne Chaldæis prædæ essent, Ieremiam in eam detulisse speluncam, vbi sepultum fuerat corpus Mosis, & abscondisse: locúmque illum occultationis, nulli mortalium hactenus fuisse cognitum. Porrò, quamuis Iudæi, arcam fœderis deinceps non habuerint; postquam tamen è captiuitate sunt reuersi, templum fabricati sunt in eo ipso loco, in quo antea fuerat. In hoc templo verè dicebatur Deus coli, & habitare per annos circiter quingentos quinquaginta, hoc est vsque ad mortem Christi Dei, & Domini nostri, quo tempore desiit locus ille esse veri Dei habitaculum, & sanctuarium; quàmuis adhuc annis 42. steterit, vsque ad Titi Romani Imper. tempora: cuius auspiciis ciuitas sancta complanata est, & templum, in quo Iudæi Christo Domino sæpe iniuriosi extiterant, flammis vltricibus deuoratum.

Iosue 18.

Deus ibi dicebatur esse vbi arca erat.

1. Reg. 4. 2. Reg. 6. & 7.

In quibus locis fuerit arca Dei.

2. Machab. 2.

Arcam non habuerunt Iudæi post captiuitatem Babylonicam.

A Tito complanatum fuit templum.

Iudæi in templo incensi.

III. Quia ergo Deus in monte Moria sedem habuit cultûs, & venerationis diuinæ, ab vndecimo anno regni Salomonis, vsque ad Christi Domini mortem, per annos ampliùs mille; meritò à Mose in hoc cantico prophetice dicitur locus ille, *firmissimum Dei habitaculum.*

IV. Lyranus aliter hunc locum exponit, Hebræos nimirum sequutus doctores: qui videntes templi euersionem; & Iudæorum de terra promissa expulsionem; dicunt, nomine firmissimi habitaculi, non intelligi Hierusalem, aut templum à Salomone ædificatum (cùm hæc firmissimum habitaculum dici nequaquam possint) sed cœleste templum, cœlestémque Hierusalem: vbi Deus suæ gloriæ abundantiam, in Angelos, & beatos Spiritus, effundit: quæ cùm loci, hoc est, empyrei stabilitatem habeat: ipsiusque Dei, se communicantis, firmitatem, meritò firmissimum Dei habitaculum appellatur. Ibi namque

Lyranus.

Firmissimum Dei habitaculum est templum cœleste.

coli

colitur Deus, non per speculum in ænigmate, sed per iugem laudem, & manifestam ipsius visionem. *Beati* (inquit Rex Propheta) *qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Quare Lyranus, Rabbinorum opinione, quam proponit, ductus, subiungit: Sic igitur, bene intelligitur, *firmissimo tabernaculo, quod operatus es Domine*, quia cœlum empyreum, quod est templum, & locus beatorum, & habitaculum Dei, factum est à principio creationis mundi, & eius effector, & opifex fuit Deus. Hæc ille.

Psal. 83.
Lyranus.

V. Rupertus, regnum etiam cœleste intelligit; in quo, vt Petrus Damianus in hymno quodam ait, iam transire transiit. Huc accommodat Rupertus, illum Psalmi versiculum: *Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti gentes, & plantasti eam, &c.* Significare namque videtur Propheta, Deum, eiectis è cœlo Angelis apostatis, plantasse iustorum vineam, firmis in omnem æternitatem hærentem radicibus. Deinde enarrans particulam: *In monte hereditatis tuæ*, sic ait: Terra quidem montosa est, quam dedit Dominus populo illi: sed incomparabiliter ea excelsior est terra, quam rectè dicas montem hæreditatis Domini: præsertim, cùm protinus subiunxerit, *firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Ergo mons, in quo magnum sit plantari populo Dei: quod rectè vocetur firmissimum habitaculum Domini, quod manibus suis ipse confirmauerit; ille est Libanus, de quo Propheta, plantationem apostaticam eiectam esse dicit, his verbis Ezech. 31 *Ecce Assur, quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius.* Et post pauca: *Omne lignum paradisi, non est assimilatum illi, & pulchritudini eius: quoniam speciosum feci eum.* Mox addit: *Cui assimilatus es, ô inclyte, atque sublimis, inter voluptatis ligna? Ecce deductus es, cum lignis voluptatis, ad terram vltimam: in medio incircumcisorum dormies cum his, qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao, & omnis multitudo eius, dicit Dominus.* In hoc monte primum, quod est mirabile, latronem plantauit, dicendo: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Hæc Rupertus. Christi plantationem vocans cœlestem paradisum; vbi, eiectis inde Angelis perfidis, vineam Ecclesiæ suæ ad perpetuitatem, quasi in terra hæreditatis suæ, depanxit. Hinc infertur, dici quidem posse templum Hierosolymitanum firmum Dei habitaculum, quod longo tempore durauerit, nec ab vna sede in aliam, vt tabernaculum Mosis, fuerit mutatum: rectiùs tamen cœlestem paradisum, ob perpetuitatem, firmum Dei habitaculum appellari.

Rupertus.
Petrus Dam.
Psal. 79.
Plantatio apostatica de Empyreo eiecta est.
Ezech. 31.
Lapsus Luciferi.
In monte cœlesti primum Christus plantauit latronem.
Luc. 23.
Christi plantatio est cœlestis paradisus.
Cœlestis paradisus firmum Dei habitaculum rectè vocatur.

VI. Quod præter supradictos Patres, confirmat Hieronymus in ep. 129. ad Dardanum; Quæris, inquit, Dardane Christianorum nobilissime, & nobilium Christianissime, quæ sit terra repromissionis, quam Iudæi redeuntes ex Ægypto possederunt; cùm à maioribus eorum iam fuerit antè possessa; ac proinde non sit promissa, sed reddita? His enim verbis vteris in calce epistolæ tuæ. Quod interrogans, videris illud sentire, quod plurimis nostrorũ placet, aliam repromissionis terram esse quærendam, de qua & Dauid loquitur in Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et Dominus in Euangelio, Matt. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Dauid quando hæc cantabat in Spiritu, in terra repromissionis erat. Vnde colligit D. Hieron. terram Iudææ, quæ illius ditionis erat, non esse terram, ad quam ille anhelabat, cùm viuentium non sit, sed morientium, vt ceteræ. Vide epistolam.

Hieronym.
Hebræis Chanaan regio, non tam est promissa quàm restituta.
Psal. 26.
Matt. 5.
Hieronymus.
Dauid anhelabat ad cœlestem promissionis terram.

Vers.

Verſ. XVII. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ: firmiſsimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.*

Tropologia. Tropologia ferè ex Origene ſumpta; de plantatione manu Dei facta in monte hæreditatis, introducto in terram promiſſam Iſraële.

ANNOTATIO II.

Origenes. Exod. 15. 70. Interp. I. ORigenes homil. 6. in caput 15. Exod. Sequutus 70. Interp. legit; *Inducens, planta eos in monte hæreditatis tuæ.* Deinde hortatur nos, occaſione huius Prophetiæ, ne in humili & vili occupatione peccati, tanquam in valle peſtilentiam exhalante, detineamur, vbi, vt ille ait:

Virgil. *Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.*

Rurſúſque: *Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo:*

Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Non enim vult nos Deus in Ægypto plantare, nec in deiectis & humilibus locis: Sed in monte hæreditatis ſuæ. Modus, quo Deus in monte ſuo ſancto plantat, in verbo inducendi exprimitur: videtur enim quaſi de pueris loqui Moſes, qui inducuntur ad ſcholas, aut eruditionem: Sed non ita eſt. Loquitur enim de modo ſuaui quo Deus electos ſuos in Eccleſiam ſuam ex Ægypto, ſiue ex ſtatu peccati, inducit, & veluti plantas in vberi ſolo collocat, & inſtar arboris in paratam ſcrobem feliciter depangit: arboris, inquam,

Virgil. lib. 2. Georg. *Quæ quantùm vertice ad auras*

Æthereas: tantùm radice in Tartara tendit.

Pſal. 79. Modum autem plantandi, à diuina manu profectum, expreſsit Regius vates Pſal. 79. dicens: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti: eiecisti gentes, & plantaſti eam: dux itineris fuiſti in conſpectu eius; & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius: & arbuſta eius, cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius.* Hæc Pſal. 79. verba, quibus oſtenditur diuinus fauor, & protectio, ducens Iſraëlitas ab Ægypto in terram promiſsionis: vbi inſtar vineę à ſe plantatę, ſedem haberent, recitans Origenes, ſic ait: Aduertiſti iam quomodo plantat Deus, & vbi plantat? Non plantat in vallibus, ſed in montibus excelſis, & ſublimibus locis. Quos enim educit de Ægypto: quos de ſeculo adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare; ſed conuerſationem eorum vult eſſe ſublimem. Hæc ille.

Modus, quo Deus vineam ſuam hoc eſt Iſraëlem plantauit in terra promiſſa. Origenes. Deum plantare in ſublimibus locis quid ſit.

II. Quia verò non ſatis eſt quempiam in ſublimi loco ſedere, niſi illius etiam cogitationes loco reſpondeant; ſubiungit Origenes: Vult nos Deus in montibus habitare: ſed in ipſis nihilominus montibus, non vult nos ſuper terram repere: nec, vltrà, vult vineam ſuam, humi deiectos habere fructus: ſed vult palmites eius ſurſum duci: in alto collocari: traduces fieri, & traduces, non in quibuſcunque humilibus arboribus, ſed in excelſis, & in altiſſimis cedris Dei. Cedros Dei ego Prophetas, & Apoſtolos puto: quibus nos, ſi adiungamur, vitis, quam de Ægypto tranſtulit Deus, & per ramos eorum noſtri palmites diffundantur; atque ipſis innixi traduces quædam charitatis efficiamur,

Origenes. Cedros Dei Origenes Apoſtolos & Prophetas interpretatur, quibus tanquam vites arboribus inhitimur.

charita

charitatis ad inuicem vinculis connexi;plurimum ſine dubio fructum adferemus. *Nam omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur,& in ignem mittetur. In præparata habitatione tua,quam præparaſti Domine:* Vide Clementis Domini bonitatem: Non vult, vt ipſe tibi facias habitaculum; iam te ad præparatam deducit habitationem. Audi Deum docentem in Euangelio; *Alij laborauerunt,& vos in labores eorum introiſtis, &c.* *Ioan.4.*

III. Emphaſim annotauit Origenes in illa appoſitione: *Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ*; & rectè quidem, cùm autor dignitatem tribuere ſoleat operi: vt clypeo Æneæ, Mulciber apud Virgilium Æneidos 8. Et ſolis regiæ, apud Ouidium Metamorph.2.vnde illud: *Emphaſ. Autor dignitatem affert operi. Ouid.Metamorph.2.*

Materiam ſuperabat opus. Nam Mulciber illic,
Æquora celarat medias cingentia terras.

Audi Origenem, Dei, inquit,de nobis ſoliciti prouidentia & amor apertè declaratur. Non enim dicit Sanctuarium manu hominis factum, ſed manu Dei. Quid ergo? Propter te, Deus & plantat & ædificat: agricola efficitur:ſtructor efficitur, ne tibi aliquid deſit. Audi & Paulum dicentem: *Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis.* Quod ergo iſtud ſanctimonium eſt,non manu hominis factum, ſed Dei, paratum? Audi ſapientiam dicentem: *quia ædificauit ſibi domum &c.* Cùm ergo Deus,tot modis ſeſe accommodet ad hominum vſus,vt beneficiorum memores, ſalui fiant:(eſt enim ipſe, & domus, & ædificator, & agricola, & vinitor, & quid non?) meritò Paulus, volens Deum ipſum imitari, *omnibus*, inquit, *omnia factus ſum, vt omnes lucri facerem.* Quod & concionatores facere debent, & prælati: imò & omnes Eccleſiæ miniſtri; ſiquidem Dei cooperatores ſumus. *Origen. Deus propter hominē plantat, ædificat, ſtruit, agricola eſt,&c. 1.Corinth.3. 1.Corinth.9.*

IV. Non prætermittam, ab Origene intelligi etiam hunc locum myſticè, de templo humanitatis filij Dei, in virgine, ſine humana ope ædificato. *Lapis enim, ſicut prædixerat Daniel, ſine manibus exciſus,creuit, & factus eſt mons magnus.* Iſtud,(inquit ille) eſt ſanctimonium carnis aſſumptæ:& ſine manibus, id eſt, abſque opere hominum,de monte humanæ naturæ, & ſubſtantiæ carnis exciſum &c. Cæterùm, in tranſlatione vineæ, mirifica Dei cura, qua ſuos protegit, & tuetur, manifeſtè oſtenditur. Quod oportet conſiderari ab iis, qui plantæ ſunt vineæ à Deo in monte hæreditatis ſuæ, hoc eſt, Eccleſiæ, conſiti: vt grati ſint beneficio, quo affecti ſunt, impletam in ſe prophetiam videntes, qua Moſes ait: Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ.Quis enim ambigere poteſt, magnam nobis à Deo collatam eſſe gratiam, cùm in ſua nos vinea conſtituit? *Pluuiam voluntariam,* inquit Propheta, *ſegregabis Deus hæreditati tuæ &c.* *Habitaculū, Dei, eſt humanitas Chriſti in virgine aſſumpta. Daniel.2. Pſalm.67.*

Verſ. XVII. *Introduces eos,& plantabis in monte hæreditatis tuæ,&c.*

Singulare Dei beneficium eſt, in monte hæreditatis ſuæ;hoc eſt, in Eccleſia,conſtitui; & ad modum vineæ plantari.

ANNOTATIO III.

I. EX allegorica Origenis, & aliorum Patrum interpretatione, conſtat, plantandi verbo ſignificari à Moſe vineam illam, de qua Chriſtus Do- *Origenes.*

Matth.21. Isaias 5. Ecclesia est Christi vinea.

minus Matth.21. *Homo, inquit, erat paterfamilias, qui plantauit vineam:* & Isa.5. *Vinea Domini exercituum, domus Israël est: & viri Iuda germen eius delectabile:* Olim populus Israëliticus; nunc autem Ecclesia sancta, Christi irrigata sanguine, vinea Domini, cuius nos vites sumus, appellatur. Cùm autem extra hanc vineam, nemo salutem consequi valeat, singulare profectò & inæstimabile beneficium Dei est, huius nos vineæ vites effectos esse. Hoc enim non nostris meritis, sed illius duntaxat tribuendum est gratiæ. Ille nanque est paterfamilias, qui plantauit vineam. Ille, qui Ieremiæ 2. ait: *Ego plantaui te vineam electam.* Ego, inquit, non homo: non Angelus: non fortuna, aut casus. Est ergo populus Christianus, Dei plantatio, ad laudandum & glorificandum illius sempiternum numen, instituta.

Ierem.2. Populus Christianus, est Dei plantatio.

II. Huiusmodi igitur beneficij memoria in animo nostro, grata versari debet recordatione, & actione gratiarum assidua decantari. Deus autem, vt beneficij magnitudinem agnoscas, non solùm nos vites effecit, & plantas: sed continuò etiam, vineam, cuius nos plantæ sumus, excolit: & in vbere solo, vt frugifera sit, conserit. *Ego* (inquit ille apud Ieremiam cap.2.) *plantaui vineam electam, omne semen verum.* D. Hieronymus obseruat in Hebræo legi *Soreth*, quod genus est vitis optimæ. Apud Isaiam 5. *Facta est* (inquit Dominus) *vinea dilecto meo in cornu filio olei:* hoc est, vt 70. Interp. vertunt, *in loco pingui siue vbere.*

Vinea electa. Hieronymus. Isa.5. 70. Interp. Ante vineæ suæ plantationē, steriles arbusculas extirpauit Deus. Autor operis imperfecti. Infructuosæ vites extirpātur à Deo.

III. Vt autem hanc electam vineam Deus sibi plantaret: steriles & infœcundas plantas, de monte hæreditatis suæ priùs radicitus extirpauit. Vnde Autor operis imperfecti, qui vulgò Chrysostomus creditur, super locum Matthæi citatum: In hac, inquit, vinea plantanda, habuit se Deus sicut vinitor studiosus, qui prius omnes in circuitu infructuosas syluas excidit, & sic postea plantat: ne fortè arbores lasciuientes, dum huc & illuc, per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum effocent malleolum, &c. Custodiam autem, & præsidium, quo Deus protegit ab inimicorum incursionibus suam electam vineam, expressit Christus in parabola Matthæi citata, dum ait, *Sepem circumdedit ei, & ædificauit turrim in medio eius, &c.*

Hieronym. in Matth. Basil. homil. 5. in Examerœn. D. Thom. 1.p. & in Matth. Seps custodia est Angelorū. 4.Reg.6. Ambros. Luc.20. Origen. Hilarius. Seps vineæ Domini Patrum est sanctificatio, & nobilitas. Hieronym. D.Thom. Origenes. Ambros. Hilarius. Turris vineæ Dei est legis altitudo.

IV. Hieronymus, Basilius, & D.Thom. nomine sepis, Angelorum custodiam significari putant. Nam immittet se Angelus (inquit Basilius) in circuitu timentium Dominum. Quemadmodum nanque apparuit in monte, equorum & curruum igneorum multitudo, id est, Angelorum, in circuitu Elisæi 4. Reg.6. sic modò in circuitu Ecclesiæ Christi innumeri astant cœlites. Vnde D.Ambrosius Luc.20. & Origenes hom.19. in Matth. hanc sepem aiunt, esse quandam protectionem diuinam, qua Deus vineam suam custodit. *Dominus enim in circuitu populi sui. Quòd si Dominus non custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam, &c.* Hilarius can.22. Seps, inquit, est sanctificatio Patrum, & nobilitas, vt Abrahæ, Isaac, & Iacob, intra quam, vt in septo peculiaris custodiæ, Deus, Iudæos inclusit. Hæc Hilarius; vineam vocans Ecclesiam Israëliticam, siue synagogam. Nomine turris, D. Hieronymus, D.Thomas, & Origenes arbitrantur, Hierosolymitanum templum significari: quod hîc Moses vocat firmissimum Dei habitaculum, vt vineæ parabola ad Ecclesiam antiquam referatur: D. Ambrosius, & D. Hilarius, diuinæ legis celsitudinem: Alij, Dei cognitionem. Nonnulli, fidei Christianæ & orthodoxæ sublimem altitudinem.

V. Expli

V. Explicatur denique diuina prouidentia circa vineam Dei illis verbis Cant.6. vbi ſponſa ait, vel, vt alij malunt, ſponſus: *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium: & inſpicerem, ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica,&c.* vbi Rab.Salomon,& alij Hebræi doctores putant,loqui ſponſum ſolicitum, an horti, in quibus varias habebat plantas, fructum afferant ſuo tempore. Nos ergo perſtringit hæc doctrina, qui plantæ ſumus horti, ſeu vineæ à Deo conſitæ: ſi enim ille ſolicitus eſt de cultura: quid nos? ſoliciti profectò eſſe debemus de fructu, quem prouidens, & benignus exactor, à nobis requirit. Hinc Ioannes Baptiſta: *Facite*, inquit, *fructum dignum pœnitentiæ: iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Hinc Matth. 21. execratur Chriſtus Dominus ficum, ſola folia, ſine fructu vllo, proferentem: idque etiam ſi importunum & alienum tempus videretur, vt annotauit D.Marcus 11. Cùm enim Dominus eſuriens, fructum ab ea expoſceret, acceſſiſſétque ad illius vmbram fameſcens, nihil præter truncum & folia inuenit. In qua execratione innuitur, odio eſſe animam Deo, quæ præter folia, hoc eſt, ſpeciem virtutis, nihil ampliùs, quod fructus ſit, habet. Inuiſit etiam ſponſus, ſiue ſponſa, vineam, vt videret, ſi floruiſſet. Et quidem ſi de vinea Iſraëlitica ſermo ſit, ea foliis, ſine fructu abundauit. Vnde Oſeas cap.10. *Vitis frondoſa Iſrael.* Quaſi dicat, in frondes creuit, non in fructum. Indigebat paſſim, vt fructifera eſſet ferro. Reciſa enim vinea falce agricolæ, fructum affert: ſemiputata, frondeſcit: neglecta, luxuriat, inquit Ambroſius lib.2.epiſt.7.ad Simplicianum.

Cant.6. — *Deus, veluti cultor vineæ, fructũ à nobis bonorum operum requirit.* — *Matth 3.* — *Matth.21.* — *Marc.11.* — *Arbor infructuoſa.* — *Execratur Deus eos qui ſolùm habent virtutũ ſpeciem.* — *Oſea 10.* — *Ambroſ.*

VI. Quomodo ſe Deus gerat cum vinea ſua, egregiè explicat parabola prædicta, de patrefamilias plantante vineam, & locante eam agricolis: qui apprehenſis ſeruis eius, fructum exigentibus, alium occiderunt &c. Quòd autem Deus, ſemper à nobis poſtulet fructum pœnitentiæ, & bonorum operum, latè tractat Auguſt.in lib.de verbo Domini, ſecundùm Matthæum ſerm. 12.31.& aliis in locis. D.Ambroſ.in lib.de Noë & arca, cap.13. D.Chryſoſt.in Matth.homil.24.& homil.25.tom.5.

Matth.21. — *Deus ſemper à nobis poſtulat fructus pœnitentiæ.* — *Auguſtin.* — *Ambroſ.* — *Chryſoſt.*

VII. Non immeritò Greg.Nyſſen. orat.2.de Reſurrectione Chriſti Domini enarrans illud Ioannis: *Illa autem exiſtimans quòd hortulanus eſſet, &c.* curam Filij Dei in colenda vinea ſua, vel in extirpandis vitiis ab vnaquaq; plantula, amplificat in hunc modum. Forſitan autem non abs re, neque extra decorum, Maria hortulanum eſſe putabat Ieſum. Sanè enim ipſe verus & immortalis agricola Paradiſi erat in horto monumenti, ſicut in Paradiſo mulierem, quæ Adamum primum hortulanum per incredulitatem deceperat, lapſam corrigens atque emendans. Hæc Nyſſ.

Gregor.Nyſſ. — *Chriſtus olitoris ſpeciẽ ſe oſtendit Magdalenæ.* — *Ioan.20.* — *Chriſtus cur olitoris ſpecie Magdalenæ apparuit.*

VIII. Hæc etiam prouidentia magis adhuc elucet in verbis illis: *Deſcendi, &c. vt viderem poma conuallium*, vbi vox Hebræa *Auim*, pro qua vulgata editio habet, *poma* propriè ſignificare aiunt Hebraizantes, quoſlibet primitiuos, ſeu præcoces fructus, & generale vocabulum eſſe ad omnia quæ verno tempore progerminant, ſiue plantæ ſint, ſiue herbæ. Quin etiam vocabulum Hebræum, pro quo Latinus Interp.poſuit, *conuallium*, torrentem ſignificat, qui per conualles plerúnque decurrit. Hinc intelligant, qui Deo incipiunt ſeruire, auidiſſimè expeti ab eis, tanquam à nouellis plantis, in vere ſui tyrocinij præcoces virtutum fructus, lacrymis, ſi fieri poteſt, etiam irriguos: & à toto tyro

A nouitijs Deus præcoces fructus expetit, id eſt, lacrymas, &c. & à toto religioſorum curſu alias virtutes.

Mala punica vnanimitatis typus sunt. *Hieronym. Zachariæ 12.* tyrocinio, imò à toto religiosorum cœtu, mala punica; quæ typus sunt vnanimitatis, decoris, & verecundiæ. Quod confirmare potest D. Hieronymus super cap.12. Zachariæ in expositione allegorica mali punici, atque horum verborum: Descendit, inquit, Saluator in torrentem huius seculi, & turbidas aquas, de quibus, & in typo eius Elias bibisse describitur: vt post flores vineæ, & mali punici fructum, vtrúnque susciperet: & inebrians Ecclesiam suam, audiret ab ea: Potabis me de vino vnguentarij, de vino malorum granatorum meorum: nihil enim hoc pomo pulchrius. In rubore, Ecclesiæ significat verecundiam: in granorum ordine, gradus & membra totius corporis, per singula officia distributa. Hæc ille: apud quem multa inuenies de mali punici mysterio, quod erat in veste summi sacerdotis, epist. 128.ad Fabiolam tomo 3.

Mala punica in veste sũmi sacerdotis. *Hieronymus.*

Cant.7. *Visitatio vtilis est, siue Ecclesias, academias vinearũ nomine intelligas.* *Matth.25.* *Matth.20.* *Theodoret.* *Cant.7.* *R. Salomon*

IX. Huc etiam spectat illa sponsi diligentia Cant.7. *Manè,inquit, surgamus, ad vineas; videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica &c.* Item parabola decem talentorum Matth.25. Et parabola de Patrefamilias, *qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam,* Matt.20. Et verò Theodoretus, & commentarius trium Patrum super illa verba Cant. 7. *Manè surgamus &c.* per vineas, animas intelligunt cœlesti disciplina cultas, vel etiam minores Ecclesias. R. Salomon non incommodè interpretatur singulares Ecclesias,seu academias, in quibus viget doctrina legis;& scholæ sunt ad propagandam sanam doctrinam constitutæ.

Docet, vt grati Deo simus, quòd translati fuerimus in Christi mõtẽ. *Psalm.77.* *Dauid, Deo disponente, baculum cũ sceptro permutauit.* *Coloss.1.*

X. Superest ergo, vt qui inducti & plantati sumus in monte hæreditatis Christi, grati animi significationem,tanti beneficij memores præbeamus.Est autem beneficium eo maius & diuinius, quò in minùs dignos cõfertur.Hinc, Rex Propheta pristinæ tenuitatis non oblitus:recordatione beneficij, quo ab statu infimo ad regiam vsque dignitatem euectus est, impulsus, ait Psalm.77. *Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum; pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.* Nostræ autem vocationis beneficium,per quam in vinea Domini constituimur, præclarè expedit Apostolus ad Coloss.1.cùm ait:*Gratias agentes Deo,& Patri,qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ,&c.* In partem, inquit, sortis sanctorum, id est,in notitiam,vt exponit Gloss.Interl. Agit ergo Paulus de vocatione nostra ad fidem.Hęc cùm ex nostris meritis non pendeat,vt annotauit D.Thom. dignos nos fecit diuina clementia. Quapropter rectè dictum est:*in partem sortis*, quia vocatio ad fidem Christianámque religionem quasi sortitione videtur accepta.Cùm verò sorte res aliqua peragitur,nulla reddi potest ratio, cur huic potiùs quàm illi aliquid obuenerit.Non tamen in omnibus circũstantiis, vocatio nostra sortibus comparari potest. Sortes enim, non solùm non obueniunt ob merita, sed neque ob electionem eius in quem conueniunt.At verò nostræ vocationis sortes ex diuina proueniunt voluntate, vt fatetur Propheta Psalm. 30. *In manibus*, inquit, *tuis sortes meæ*: & Christus Dominus: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Agnoscamus ergo diuinum beneficium vocationis nostræ; & plantati in domo Domini, in monte hæreditatis eius: alacres, beneficio vocationis diuinæ, & plantationis, quibus possumus officiis,respondeamus.

Gloss.Interl. *D.Thom.* *Vocatio ad salutem, non est in omnibus similis sortitioni.* *Nostra vocationis origo,ex diuina voluntate.* *Psalm.30.*

CANTI

CANTICI MOSIS SECTIO X.

Verſ. 18. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.*

19. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: Filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.*

Pagnin. Non diſcrepat à vulgata editione.

Vatab. *Dominus regnabit in ſeculum, & in perpetuum.* Pro, *ambulauerunt*, vertit, *profecti ſunt.*

70. Interp. *Dominus regnans in ſeculum, & in ſeculum; & vltrà. Quod ingreſſus eſt equus Pharaonis, cum curribus, & aſcenſoribus in mare; & ſuperduxit ſuper eos Dominus aquam maris; at filij Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio maris.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. Paraphraſis. Dum patrata miracula conſidero, libet exclamare: Dominus, quem Iſraël colit, rūpantur licèt hoſtes inuidia, regnabit in omnem æternitatem ſeculi, & vltra eam abſque vlla temporis præfinitione. Cuius rei argumenta ſunt, ea ipſa potentiæ illius, & virtutis ſigna quæ oculis vſurpauimus. Equus Pharaonis, cum quadrigarum, & equitum paratu, in patefactam maris rubri viam, ingreſſus eſt: moxque aquarum hinc inde aſtantium cumuli, Deo iubente, Ægyptios omnes obruerunt: & obrutos ad ima vada, veluti plumbum, compulerunt. Filij autem Iſraël per medium iter, quod diuina illis in mari virtus aperuit, ſicco veſtigio tranſierunt. Atque ad hunc modū Deus, interfectis ad vnum hoſtibus, populum ſuum eduxit incolumem.

II. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.* Dictio Hebræa לעלם *Lebolam*, à quibuſdam vertitur, *in æternum*, ab aliis, *in ſeculum*, ob eam credo rationem, quia apud Hebræos non habet conſtantem ſignificationem. Interdum enim pro *æternitate* ponitur: aliquando pro *mundo*: nonnunquam pro *quinquaginta annis*. Dictio etiam ועד *vahed*, redditur à quibuſdam, *in æternum*: ab aliis, *& in perpetuum*, ſiue *perpetuò*. Caietanus, & Oleaſter, iuxta Hebraicam veritatem legunt, *Dominus, ſiue Iehoua regnabit in ſeculum, & vſque.* Particulam, *vſque*, additam eſſe aiunt interpretes aliqui, ad exprimendam durationis infinitatem. Vnde Caietanus: Ad literam, inquit, ſignificatur, quòd regnum Dei inchoatum in populo Iſraël educto de Ægypto, durabit in æternum Et verificatur intelligendo per populum non Iſraël ſecundùm carnem, ſed Iſraël ſecundùm iuſtitiam, vt Paulus docet. Hæc Caiet.

Lebolam. *Caietanus. Oleaſter.* *Caietanus.*

III. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao. &c.* Hebraicè: *quoniam ingreſſus eſt equus Pharaonis in curru eius, & in equitibus eius in mare.* Vbi vides explicari ipſo contextu verborum, equorum multitudinem trahentium quadrigas exercitus Pharaonis, cum multitudine equitum. Poteſt etiam rectè exponi, vt vertit interpres Latinus: *Ingreſſus eſt enim eques Pharao*: vox enim, *ſus*, ſonat apud Hebræos, tam ipſum animal quàm animal vnà cum aſcenſore. 70. Interpr. *70. Interp.*

Chald. paraphr.

transferunt ἵππος φαραὼ, id est, equus Pharaonis. Chald. Paraphr. ita legit: *Quãdo ingressus est equitatus Pharaonis, cum curribus, & equitibus suis in mare.*

Ibi pereunt Ægyptij, vbi Israëlitarum nec calcei quidem maduerunt.

Sap. 19.

In mari via patefacta est graminea Israëlitis.

Iansennius.

Lyranus.

Pineda in cap. 16. Iob.

Parium mare germina habet.

IV. Illud prætermittendum non est quod in ipso verborum contextu inculcari tacitè videtur: ibi nimirum malis perniciem parari; vbi bonis salus affulget. Ibi nanque præfocati perierunt Ægyptij, vbi nec calcei quidem Hebræorum maduerunt. Imò, vt dicitur Sap. 19. via graminea transeunti aperta est Israëli. *Terra, inquit, apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Græcè pro, *campus germinans*, est χλοηφόρον πεδίον: id est, *campus viridem herbam proferens.* Cornelius Iansennius putat hoc dictum esse hyperbolicè, scilicet, quòd via illa in mari fuerit Hebræis loco campi germinantis, & floridi. Idem sentit Lyranus: notat tamen in verbis citatis similitudinem, non hyperbolen, vt Iansennius. Sunt, qui neque similitudinem, neque hyperbolen, sed proprietatem agnoscant: quòd nimirum Hebræi ea parte mare traiecerint, quã herbescens soli viriditas subsidebat. Idque confirmant ex recentioribus scriptoribus, qui Parium mare herbis florentibus sic implicitum esse narrant, vt nauigari nequeat. Quocunque enim vertuntur fluctus, eò conuerti etiam dicuntur germina, & flores. Atque adeò hi autores nullum videntur, in verbis, germinationem indicantibus, miraculum agnoscere.

V. Mihi, vt quid sentiam eloquar, nouum videtur à Deo factum miraculum, non solùm in desiccatione maris, sed etiam in subita productione, aspectum exhilarantium herbarum. Nam, transeuntibus Hebræis metu exanimatis, Deus præsto fuit: non solùm patefacta via latissima, sed etiam ornata viridi gramine, & florido. Et verò, siquid, subtus aquam erat ante miraculum producti graminis, id impedimento potiùs esse potuit transeuntibus, quàm alle-

Plin.

uamento. Plinius lib. 12. cap. 25. Sic de mari rubro scribit: *Mare rubrum, & totus Orientis Oceanus refertus est syluis: In alto abies, & quercus cubitali altitudine: ramis eorum adhærent conchæ.* Deinde de mari rubro peculiariter loquens, hæc

In mari rubro sunt syluæ virentes.

subiungit: *In mari rubro syluas virere, laurum maxime, & oliuam ferentem baccas: & cùm pluat, fungos, qui sole tacti mutantur in pumicem. Fruticum ipsorum magnitudo, ternorum est cubitorum.* Hæc Plinius. Quis non videt huiusmodi frutices impedimento fore, etiam siccato mari transeuntibus? Sanè, per Angelos Deus, ni fallor, viam expediuit, truncis plantularum syluescentium recisis, & à via pro-

Angeli viam expediuerunt Hebræis trãseuntibus.

Sap. 19.

cul amotis: vt pressi sarcinulis Hebræi, & vrgente à tergo hoste, paulò antè territi, hilares, & sine impedimento ad littus festinarent: tandémque læto gramineæ semitæ hospitio, diuinam commendarent erga suos benignitatem. Atque hoc ipsum videntur significare verba Sap. 19. huc adducta, si benè ponderentur.

Vers. XVIII. *Dominus regnabit in æternum. Et vltrà.*

Quid significet vocabulum æternitatis hic adhibitum?

ANNOTATIO I.

Origenes. Exod. 15. 70. Interp.

I. Placet mihi præ cæteris Origenis interpretatio, homil. 6. in cap. 15. Exodi. Vbi sequutus versionem 70. Interpretum, quæ sic habet: *Dominus regna*

regnabit in seculum,& in seculum,& adhuc: Sic scribit; Quoties,*in seculum*, dicitur,longitudo quidem temporis significatur: sed esse tamen finis aliquis indicatur. Quòd si addatur; *& aliud seculum*: longior quidem significatur duratio;non tamen sine fine. Si dicatur: *In secula seculorum*,longissima quidem duratio significatur,sed habens tamen finem:cùm autem in hoc loco additur, *& adhuc*, id profectò nullum sensum termini,aut finis alicuius relinquit. Quodcunque enim cogitaueris, in quo finem aliquem posse putes consistere; semper tibi dicet sermo propheticus: *Et adhuc*, siue, *vltrà regnabit Deus*. Sic Origenes. Itaque particula,*& adhuc*, idem est quod *sine fine*, apud Poëtam, dum Iupiter æternum Troianis in Italiâ imperium promittens inducitur: *Seculi significatio ex Origene.*

His ego nec metas rerum,nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. *Virg. Æn.1.*

II. Lyranus,in Hebræo,inquit,sic habetur: *In seculum & vltrà*. Seculum autem propriè significat tempus quinquaginta annorum:Sed quando additur ei,*& vltra*,significat,*æternitatem*. Hæc ille. Admonet præterea, dici hîc in futuro,*regnabit*,quia non regnauit Deus ab æterno, sicut nec fuit creator, nec Dominus ab æterno. *Lyranus. Deus nec creator, nec dominus fuit ab æterno.*

III. Abulensis q.5.super caput 15.Exodi,existimat,satis per vocem,*æternum*, significari durationem interminatam, quoad vtrumque terminum: sed adiungi illud,*vltra*,ex abundanti, ad significandam magnam affectionem loquentis: *Ex abundantia quippe cordis os loquitur*. Moses enim, quoniam valde desiderabat,regni Dei,quem amore amicitiæ,vt Theologi loquuntur,impensè amabat,durationem; produxit illud per quasdam voces, ingentem significantes animi affectionem. Et quidem in Scriptura diuina interdum ex affectione dicentis, apponuntur aliqua non necessaria ad emphaticam comprehensionem rerum multarum,quæ vno, aut paucis verbis, dici nequeunt. Sic Genesis 3. Serpens dixit Euæ, *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*. Constat autem, tunc nihil fuisse mali quod cognosci posset: Sed ita loquutus est serpens,vt & omnia præterita, præsentia, & futura entia; imò & possibilia, modósque omnes sciendi,complecteretur. Quare non sine fundamento multis placet Abulensis interpretatio. *Abulens. Exod.15.* *Luc.6.* *Gen.3.*

IV. Originem imitatus Rupertus, post explicationem vocabuli æternitatis,vel seculi,sic ait: Hac voce audita, fortè leuamus capita nostra: sed non tota videmus æternitatis spatia. Addidit Moses illud, *& vltra*, veluti si dicat: Quantum videre in longinquũ potes,regnabit Deus:& vltrà quàm videre potes:& vltra id,quod ipsa vox,quæ dicitur, *in æternum*, animo, vel intellectui tuo infert. Quid sentiat D. Thom. scies, si legeris, 1. p. q.10. art.2. ad 2. vbi hæc ipsa verba explicat. Vide etiam Hugonem Cardinalem super hunc versum: & Rupert.lib.2.in Exod.cap.34.qui præter alia,aduertit,bene sonantem reddi huius carminis finem,Dei mentione, dum dicitur, *Dominus regnabit in æternum,& vltrà*. Auspicatus nanque Moses à Deo cantionem, Deo eam terminat;Quasi dicat: *Rupertus.* *D.Thom.* *Hugo Card.* *Rupertus.*

A te principium, tibi desinet.

V. Ex dictis elicitur iuxta communiorem Patrum interpretationem, particulam Hebraicam, *Leholam*, & Latinam, *in æternum*, non sumi in prima signifi

significatione, pro vera scilicet & perfecta æternitate. Sed in alia quasi secundaria, hoc est, pro longissimo tempore, quale est tempus vsque ad finem mundi. Ob idque non immeritò subiungi, *& vltra*. Quòd si æternitatis significationem velis, secundùm omnem comprehensionem accipere, tunc particulam, *& vltra*, poteris exponere, vt eam Diuus Thom. & Abulensis interpretantur.

Æternum dicitur interdum tempus longissimum. D.Thom. Abulensis.

Verſ. XVIII. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.*

Quem locum optet Moses Deo, ad regnandum in æternum, & vltrà.

ANNOTATIO II.

I. CErtum est, loqui Mosen de terra promissionis, dum prophetico afflatus Spiritu, ait: *Dominus regnabit in æternum, & vltrà*: & de ea parte præcipuè, in qua templum fuit ædificatum. Libet nihilominus huius versiculi occasione, de multiplici Dei domicilio aliquid dicere: vt intelligamus, Deū, licèt vbique sit, peculiariter tamen quibusdam in locis, ad diuina beneficia largiùs hominibus conferenda, assistere. Primùm namque cœlum dicitur incolere, quia in cœlo seipsum beatis spiritibus & mentibus communicat. *Nolite* (inquit Christus Dominus) *iurare per cœlum, quia sedes Dei est.* Etsi enim Deus ipse Ierem. 23. dicat: *Cœlum & terram ego impleo:* Sedes tamen manifestationis gloriæ diuinæ, cœlum dumtaxat nominatur.

1. Cœlum sedes est regni Dei. Matth. 5. Ierem. 23.

II. Anima etiam nostra, sedes Dei est, & templum, in quo diuinum numen illustratione gratiæ, & virtutum, quas tribuit ornatu, operationem suam exerit. Vnde D. Bernard. in lib. de contemplatione: *Templum*, inquit, *Dei, est mens iusti, & altare optimum, cor eius.* Et Apostolus 2. Corinth. 10. *Templum Dei est, quod estis vos: qui autem polluerit templum Dei, destruet illum Deus, &c.*

2. Dei sedes est anima. Bernard. 2. Cor. 10.

III. Locus Dei dicitur ille, in quo Deus aliquid specialiter operatur; aut in quo, illius opem, spe, ibi potiùs, quàm alibi, quod poscimus impetrandi, efflagitamus. Tale fuit olim templum Hierosolymitanum: in quo orans Salomon 3. Reg. 8. inquit: *Ergo ne putandum est, quia Deus verè habitet super terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui?* Deinde subiungitur, domum illam excitatam à fundamentis fuisse, vt inuocaretur in ea Deus, & preces fidelium audiret. Huiusmodi domus, sunt hodie omnes ædes sacræ, toto orbe Christiano fabricatæ. Quamuis enim D. Augustinus affirmet, Christum Dominum, fecisse totum orbem terrarùm oratorium: & D. Paulus 1. Tim. 2. dicat, *Orandum esse in omni loco:* existimandum nihilominus est, tribui à Deo peculiarem virtutem quibusdam locis, & influxum: iisque præcipuè, qui diuino cultui, & religioni dicati sunt, ex Episcoporum approbatione.

3. Locus Dei ille est, in quo aliquid peculiariter operatur. 3. Reg. 8. Christus moriens fecit totum orbem oratorium. August. 1. Tim. 2.

IV. Hanc olim prærogatiuam habuit mons Sinai, vt annotauit Rab. Abraham Aben Ezra, quem refert Abulensis q. 4. in cap. 15. Exodi. Ibi enim Deus ostendebatur in caligine nubis, & ignis, & tanquam eius loci habitator, legem

4. Mons Sinai sedes Dei. R. Abraham. Aben Ezra. Abulensis.

legem dedit, & per Angelos loquutus est. Nec solùm habitaculum Dei fuit hic mons, quo tempore Hebræi ad radices eius castrametati sunt,& legem acceperunt, sed multo antè tempore. Fama nanque erat apud pastores Madianitas, Deum inhabitare in monte Sinai: nullúsque ob hanc causam ad illum accedere audebat,incussa animis,ob loci religionem,formidine.Idcircò quando Moses duxit gregem ad interiora solitudinis,& peruenit ad montem Sinai, víditque rubum, sine viridantium ramorum combustione, ardentem: volens propiùs accedere, vt consideraret visionem illam magnam, prohibitus fuit à Deo, dicente: *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.*

Deus apparuit in Sinai tanquam eius loci habitator.

Exod. 3.

V. Habuit eandem prærogatiuam templum Hierosolymitanum (vt paulò antè diximus) magnis in monte Moria ædificatum sumptibus: quod hîc vocari habitaculum Dei, & optari à Mose, vt sedes, & regnum sit Dei vsque in sempiternum, affirmat Lyranus: quia huc erant venturi Hebræi, diuina virtute ducti; ac tandem Deum tanquam in firmissimo, & stabili loco, religiosè adoraturi.

Lyranus.

VI. Mihi, altiùs prophetiam rimanti, videtur Moses prædicere Deum regnaturum: primùm quidem in terra Chanaan, in qua erat templum: idque in æternum, siue iuxta proprietatem Hebrææ vocis, & translationis 70. Interpretum: *in seculum, & in seculum, & adhuc*, hoc est, vsque ad Messiæ aduentum. Quod tempus per secula, & secula, id est, per spatia quinquaginta, & quinquaginta annorum transigetur. Nostra vulgata editio, adiungit expressionem diuturnioris adhuc durationis, adhibita particula: *Et vltrà*: hoc est, post aduentum etiam Messiæ, vsque ad finem mundi: vltra fines terræ promissæ, in totum orbem dominabitur. Vltrà adhuc regnabit, videlicet, vsque ad mundi incendio perituri occasum, cum fidelibus in lege gratiæ. Nec hîc, meta erit imperij: vltrà adhuc regnabit in cœlesti patria cum beatis. Hæc enim vox, *Dominus regnabit in æternum, & vltrà*: animi est, iubilo internæ lætitiæ delibuti, exultantis, multa optantis, & prophetice prædicentis.

70. Interp.

Quid sit regnare in seculum, & vltrà.

Vox exultātis animi.

VII. Iam soli regno Dei conuenit, vt perpetuum sit, & stabile. Hominum enim imperia, sua interdum opprimuntur aut ruunt vetustate: vel ad terram deiiciuntur hostium impetu. De Romano imperio, suo tempore florentissimo, licuit Latinæ Poëtæ ita præcinere:

Non res Romanas, perituráque regna &c.

Virg. Georg. 2.

Et passim celebrantur à prophanis & sacris historicis, Rerumpublicarum mirabiles ac ferè tragicæ conuersiones. Causas tres numerat Lucanus lib. 1. Pharsaliæ, ruinæ Romanæ Reipub. Prima est, ordo ipse rerum à Deo rebus omnibus præscriptus, secundùm quem magnis, *summísque negatum est,*

Tres causæ ruinæ imperij Romani.

Lucanus.

Stare diu &c.

Secunda est, inuidiæ acerbitas, quæ imperij & gloriæ consortem non admittit. Etenim sceptri fulgor,

Omnisq; potestas

Impatiens consortis erit, &c.

Quod exemplo confirmat duorum fratrum notissimo, qui Romæ nascentis muros, ad spem Regni, cui ambo iurà darent, à fundamentis excitarunt. Vnde illud;

O *Fraterno*

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Tertia, quia, quæ magna sunt, suopte pondere, & mole, etiam nemine impellente, veluti pressa concidunt:

In se magna ruunt, &c.

Boëtius. VIII. Hinc Boëtius lib. 3. de Consolat. lib. 3. pros. 7. regna, quæ à dynastis in hac vita mortali obtinentur, negat posse quenquam beatum efficere. An verò, inquit, regna, regúmque familiaritas efficere potentem valent, aut felicem? Plena est exemplorum vetustas; plena est præsens ætas, qui Reges felicitatem calamitate mutauerint. Et ironia vsus, subiungit: O præclara potentia, quæ nec ad conseruationem quidem sui, satis efficax inuenitur. Hæc Seuerinus Boëtius. Regnum autem Dei firmissimum est; siquidem nec labi potest vetustate, cùm æterna fundatum sit stabilitate: nec concuti, cùm aduersariorum molitiones non formidet. Regnabit ergo Dominus in Ecclesia sua in æternum, & vltrà.

Reges multi felicitatẽ tẽpore Boetij calamitate mutarunt.

Vers. XVIII. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.*

An Christus sit, sempérque fuerit verè & propriè Dominus & Rex omnium rerum.

ANNOTATIO III.

I. DVo hîc paucis euoluam. Vnum est, an hæc prophetia ad Christum spectet: Alterum, an illi, quatenus homo est, regnum conueniat, & dominium, quò res omnes, tam spiritales, quam temporariæ pleno ei subiectæ sint iure, secundùm quod in æternum, & vltrà, vt Moses ait, regnum suum prorogabit.

Origenes. Rupertus. Beda. II. Pertinere ad Christum humanæ libertatis vindicem, totum hoc canticum, ex Origene, Ruperto, Beda, aliisque Patribus sæpe annotauimus. Accedit, Ecclesiæ consuetudo, iam inde ab Heroicis ducta temporibus, quâ, in laudibus matutinis feriæ quintæ solet à nobis propterea recitari, quia per liberationem Israël de Ægypto, significata est, exhibẽda suo tempore per Christum, à dæmonis tyrannide, humani generis liberatio. An, non per rubri maris aquas, virtus Baptismi animam purgantis, & peccata, demersis Tartarei tyranni copiis, abstergentis, intelligitur? Iam, terræ promissæ aditio, hostium expugnatio, atque vberrimi soli possessio, quid aliud indicat quàm Apostolorum ad gentes, Euangelij luce, & diuini verbi gladio præeunte, ingressus? Ædificatio verò templi in terra promissionis, quæ hîc etiam prænuntiatur, quid putas, significat, nisi sanctam Ecclesiam, Christi Domini potentia, & insigni virtute in gentili populo feliciter erigendam, & propagandam? Profectò sensum hunc attendit Christianus populus in cantici huius hebdomadaria decantatione. Cæterùm, si Christo aptare vis versiculum 18. de quo agimus, audacter dicendum est, & cum voluptate proclamandum, *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.* Æternum nanque (prætermissis aliis significationibus, de quibus suprà egimus) hîc dici puto, durationis mundi tempus vniuersum. Id quippe nomen pro diuturno plerùnque accipitur durationis spatio,

Cur die Iouis ab Eccl. recitetur Mosis canticum.

Vaticinia huius cantici ad legem gratiæ referuntur.

Æternũ quid hic dicatur.

tio, quamuis principium habeat, aut finem; ficut perpetuum, fempiternum, & id genus vocabula alia, paffim in facris literis, præfertimque in pentateucho, fumi folent: vbi ceremoniæ, & legales ritus, dicuntur effe legitimum æternum, fiue fempiternum ipfis, hoc eft, tandiu duraturum quandiu perftabit illius legis ftatus. Vltra æternum verò, hoc modo acceptum (vt Iodocus Clichtoueus in Elucidatorio Ecclefiaftico explanat) eft durationis curriculum, cuius finis nullus fit. Itaque: *Chriftus Dominus regnabit in æternum*, quia per totum mundi, tandem conflagratione perituri, procurfum, regnum & in cœlo habebit, & in fancta Ecclefia. *Regnabit etiam vltrà*: quoniam poft feculi confummationem, regnum eius erit in cœlo perpetuum, vt Beatæ virgini Gabriel Angelus Luc.1. prædixit, dicens: *Regnabit in domo Iacob in æternum; & regni eius non erit finis.*

Exod.19. Genef.12.

Clichtoueus.

Chrifti regnū durabit etiam poft mundi finem.

Luc.10. Daniel. Mich.4.

III. Quod autem Dominus ac generis humani feruator Iefus Chriftus, verus Rex fit, fempérque fuerit, atque abfolutus rerum omnium Dominus, etiam fecundùm humanam naturam, oftendi poteft: Primùm autoritate Scripturæ: deinde rationibus: tandémque aduerfariæ opinionis confutatione. Quod attinet ad Scripturas, quarum vel fola fufficit atteftatio; audi Dominum Chriftum Matth.28. *Data eft*, inquit, *mihi omnis poteftas in cœlo & in terra*: Et Luc.10. *Omnia mihi tradita funt à Patre meo.* Ad Hebr.1. ait Apoftolus: *Quem conftituit hæredem vniuerforum.* Apocalyp.1. dicitur: *Princeps Regum terræ.* Et cap.19. *Habebat fcriptum in femore, Rex regum, & Dominus dominantium.* Poffem, ex veteri teftamento multa proferre teftimonia, fed tria fufficiunt, quæ præcipua funt: vnum ex Zachar.9. *Ecce Rex tuus venit tibi &c.* Alterum, ex Pfalm.2. *Poftula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poffeffionem tuam terminos terræ, Reges eos &c.* Tertium, ex Pfal.71. vbi Meffiam Chriftum prævidens diuinus Vates, *Dominabitur*, inquit, *à mari vfque ad mare, & à flumine vfque ad terminos orbis terrarum.* Quid dici dilucidiùs poteft, aut explicatiùs? Dubitari fanè non poteft, hæc loca de Chrifto intelligi, poft affumptam humanam naturam, à Patre, vniuerforum hærede, principe regum terræ, atque Domino dominantium, apertiffima denuntiatione conftituto.

Chriftus etiā fecundùm humanitatē rex eft mundi.

Autoritates Scripturæ.

Matth.28. Luc.10. Hebr.1. Apoc.1.& 19.

Veritas regni Chrifti triplici Scripturæ teftimonio cōfirmatur.

Zach.9. Pfalm.2. Pfalm.71.

An Chrifto vt homo eft, conueniat Pfalm.71.

IV. Ambiget quifpiam quanam ratione regnum, & dominium, de quo agitur Pfalm.71. quem citauimus, cùm temporale fit, vniuerfale, ac feliciffimum; Chrifto Domino valeat adaptari. Rabbini exiftimantes, Meffiam futurum regem, diuitiarum, & fubditorum magnifico apparatu confpicuum: cùm huic exiftimationi repugnare pleráque Scripturæ loca viderent, in quibus Meffias pauper inducitur; & tandem occidendus, in eam iuerunt fententiam, vt duos affererent; gloriofum vnum; alterum miferum. Vnum vocarunt Ben Iofeph, de tribu Ephraim: alium, Ben Dauid, de tribu Iudæ. Horum vnum, miferè cum fobole & gente fua vniuerfa occidendum, prædixerunt: alterum, nunquam moriturum; ac proinde æterno decoratum regno, fufcitato à mortuis; illo altero fœdis vulneribus interfecto Meffia, fecundùm promiffiones Iudaico populo à Deo factas, laudabiliter, & cum gloria victurum. Addunt, ab hoc gloriofo Meffia expugnatum iri Romanum Imperium, conuocandófque ex omnibus mundi regionibus, in quibus miferam feruiunt feruitutem, Iudæos, ad terram promiffam, tanquam ad fibi debitum patrimonium: vbi non folùm viuis Meffias ille futurus fit beneficus, fed etiam

Rabbinorū de Meffia opiniones.

Ben Iofeph. Ben Dauid.

Rabbini duos fingunt Meffias; vnū gloriofum, alterū miferum.

Iudæi dicūt à fuo Meffia expugnandū effe Romanū imperium, & fufcitandos Iudæos vita functos, vt illius cōfpectu fruantur.

mortuis: quippe qui, omnes Iudæos vita functos, vt eorum oculos sperata tandiu pace & felicitate expleat, sit suscitaturus. De his agunt, Petrus Galatinus lib.4.de Arcanis catholicæ veritatis cap.2.& cap.21.Porchetus in lib.qui dicitur Victoria contra Iudæos,p.1.cap.10.Petrus Costo in lib.qui inscribitur Typus Messiæ;Iacobus de Valentia super Psalm.20. Adrianus Finus lib.5.Flagelli cap.15.

Galatinus. Porchetus. Petrus Costo. Adrianus Finus.

Ad excogitandos duos hos Messias, eo consilio permoti sunt Iudæi, vt quædam conciliarent, & inter se componerent Scripturæ loca, quæ si ad vnum tantùm Messiam referantur, pugnantia illis videntur, & prorsus contraria. Quomodo enim, inquiunt, credibile est, res adeò inter se pugnantes, vni Christo conuenire?Mich.5.*Ex te*, inquit, *exiet dux,qui regat populum meum Israël,& egressus, siue egressiones eius à diebus æternitatis.* Et Psalm. 109.qui totus ad Messiam spectat, an alij, quàm Christo glorioso dixit Deus,*Sede à dextris meis*? gloriosum in hoc Psalmo, Rabbini omnes meditantur Messiam, cui Deus eam tribuerit dignitatem, vt à dextris suis sessitaret; cuique in pugnis, quas aggressurus esset, suus sponte adesse deberet populus, vt versus 4.secundùm quasdam versiones habet,ad oppugnandos Israëlitici nominis inimicos. Eiusdem Messiæ amplitudini, & regnorum perpetuitati, accommodant Hebræi doctores Psalm.44.71.86.88.&c. Rursus Rabbini videntes apud Isaiam cap.53. & apud Zach.cap.9. & 12. & passim in Psalmis, præsertim Psalm.21. & 68. innumeras calamitates, & ærumnas prædici, quæ occursuræ sint Messiæ:Quo modo,aiunt, hæc in gloriosum Messiam quadrare valent? sanè alius inducendus est afflictus, & inglorius, cui Prophetarum oracula tot ac tanta minentur detrimenta.

Mich.5. Psal.109. Psal 44. Isa 53. Zach.9.

V. At enim verò perspicere præ cæcitate miseri Iudæi non potuerunt, quæ repugnare illis videntur in vnum Christum conuenire, temporum diuersitate considerata. Nam primò quidem tempore futurus erat Messias pauper, & miseriis vitæ conflictatus: postmodo verò, hoc est, in resurrectione, diues, potens, & triumphator gloriosus. Adde, primi & secundi aduentus distinctionem. Vt enim habet Iurisperitorum regula, distinguere oportet tempora, vt sic concordentur iura. Quid, quòd secundùm diuersas naturas, vno & eodem tempore, hæc omnia conueniunt Messiæ?Quid si duo Christi regna consideres, spirituale vnum, alterum temporale?

Vni Messiæ cōueniūt secundùm diuersa tēpora, aduersa & prospera.

VI. His probè perspectis, haud difficilè mihi est, Christo Domino in æternum, & vltrà regnaturo, omnia, quæ in sacris literis sunt loca, ad Messiam spectantia, accommodare; sed, ne longior sim, quàm oportet; satis erit Rabbinos impugnare, qui Psal.71. qui totus secundùm literam, & spiritum ad Messiæ regnum duntaxat pertinet, Salomoni, non Christo attribuunt.Ex hac nanque impugnatione id, quod volumus, elucebit. Primùm, Patrum communis sententia est, prædictum Psalmum, nullo modo de Salomone,sed de solo Christo conscriptum à Dauide fuisse. D.Hieronymus ad Ruffinum,de Iudicio Salomonis, sic ait: Nulla dubitatio est, quòd Psalmus 71. qui titulo Salomonis inscribitur, non Salomoni mortuo, sed Christi conueniat maiestati. Idem super Dan.cap.11.enarrans illa verba, *Et stabit in loco eius despectus.* In Psalmo, inquit, 71. quæ dicuntur, Salomoni non valent conuenire. *Nec enim permansit ille cum Sole, & ante lunam, nec dominatus est à mari vsque ad mare,*

Vnus Messias tantùm inducēdus nō duo, vt aliqui Iudæi somniant. Psal.71. Rabbini Salómoni attribuunt. Hieronymus. Dan.11.

& à

& à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: neque ante solem permanet nomē eius, nec benedicta sunt in illo omnes tribus terræ. Eusebius li.7. de monstrat. Euang. c.3. Verba, inquit, huius Psalmi, non conueniunt, nisi Christo: huius enim regale solium permanet cum sole; hic, ante lunam, & ante mundi constitutionem erat, &c. Tertull. lib.5. contra Marcionem cap.18. cuius nomen, æternum, nisi Christi? &c. D. August. lib.17. de Ciuit. cap.8. Psalmus, inquit, 71. titulo Salomonis inscriptus est, in quo tám multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non possunt: Domino autem nostro Iesu Christo, apertissima perspicuitate conueniunt. Et de vnitate Ecclesiæ cap.8. De nullo alio, inquit, quàm de Rege sempiterno Domino Christo dici potest Psalmus ille, &c. Adde Ruffinum aduersus Tryphonem, D. Ambr. in Apologia Dauid, & alios, quos longum esset recensere.

Eusebius. *Tertull.* *August.* *Ruffinus.* *Ambros.*

VII. At, dicunt Iudæi, Psalmum hunc verti posse per verba imperandi, & bene precandi, in hunc modum: *Dominetur à mari vsque ad mare: coram illo procidant Æthyopes, &c. Viuat, & detur ei de auro Arabiæ, &c.* Prout multæ habent ex catholicis versionibus. Quibus ego. An nouum est, in sacra pagina per verba imperandi, & optandi exprimere prophetias, & quid futurum sit annuntiare? Sic Psal.108. prædicitur calamitas peccatori superuentura. *Constitue* (inquit Rex Propheta) *super eum peccatorem; & oratio eius fiat in peccatum. Fiāt filij eius orphani, &c.* Et Isai.6. *Excæca cor populi huius, id est, excæcabitur:* & Ps. 68. *Deleantur de libro viuentium, hoc est, delebuntur.* Et Luc.23. *Quod facis, fac citius, id est, facies.* Quis hæc dicet optantis, aut imprecantis affectu à sanctis viris recitari? (absit vt mala illi optent, & apprecentur proximis suis) sanè dum ita loquuntur, præuisa, Deo reuelante, mala, antequam eueniant, denuntiant. Quod aduertit Driedo lib.3. de dogmatibus tract.3. cap.2. Sixtus Senens. libr.8. Bibliothecæ; Genebrard. in Psal.6. & ferè alij. Quare, licèt concedam, versus aliquot Psalm.71. rectè per optandi, aut imperandi verba exprimi, non tamen propterea admittam, tolli propheticam futuræ felicitatis prædictionem, quæ in Christi vniuersali Monarchia, non in Salomonis regno consideratur: quod aduertens D. August. super Psal.88. Destruxit, inquit, illam felicitatem Deus in Salomone, vt expectaremus alterum, in quo illa adimplerentur quæ adimpleri necessum erat, &c. Quæ cùm ita sint, mirari meritò possumus, viros catholicos extitisse qui cantari in hoc Psalmo vnà cum Messiæ regno sempiterno, Salomonis felicitatem existiment. In quibus est Titelmanus in annotatione, Vatablus, Iansennius, Flaminius, quibus Isidorus Clarius, licèt plus Christo deferat, fauere non obscurè videtur. Præstat, vt in vnum Christum omnes huius Psalmi versus conferantur, quàm, vt hos Salomoni, illos Christo demus. Quid quòd titulus ipse, qui Salomonem præfert, Christum effert? Primùm, quia vt doctè annotauit Ludouicus Legionensis in lib. de nominibus Christi; vnum ex Christi nominibus, in Scriptura, est pacificus, siue dilectus; Quare Salomon in Psalmi inscriptione, non propriè, sed appellatiuè pro dilecto, siue pacifico accipi potest: vel metaphoricè, nimirum eo loquēdi tropo, quo ipsum Christum Leonem appellamus, Agnum, Abelem, Dauidem, &c. Aut saltem patronymicè, vt vox Salomon posita sit pro filio Salomonis; sicut Dauid, interdum ponitur, non pro vero Dauid, sed pro Christo, vt apud Ierem.30. *Seruient, inquit, Dauid Regi suo, quem suscitabo eis, &c.* Quis hîc Christum nomine

Verba optatiua & imperatiua non obstant prophetiæ. *Psal.108.* *Isai.6.* *Psal.68.* *Cùm sancti viri mala videntur imprecari, non id faciunt vt mala optent proximis.* *Driedo.* *Sixtus Senens.* *Genebrard.* *August.* *Non rectè sentiunt, qui putant, Psal.71. vnà cum Messiæ regno, cantari Salomonis felicitatem.* *Titelmanus.* *Isidor. Clar.* *Vatab.* *Iansen.* *Ludouicus Legion.* *Christus Salomonis nomine vocatur in tit. Psalmi 71.* *Ierem.30.*

David non intelligit? Num David suscitandus erat? Aduertit hîc sacræ Scripturæ morem D. Aug. in lib. de 8. quæstio. ad Dulcitium q. 5. & vlt. Galatinus, de Arcanis lib. 3. cap. 25. Iansen. in epistola Psalmis præfixa; Driedo libr. 3. cit. Imò ipsi Hebræorum doctores, vt Galatin. notauit lib. 3. cap. 23. hanc doctrinam sequi coguntur, intelligentes, cap. 3. Canticorum, nomine Salomonis, Christum; dum dicitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem.* Hinc illa asseueratio, qua R. Moses vsus est, dicens: esse mortis reum, qui ex cantico canticorum delet nomen Salomonis, tanquam delens nomen diuinum: & Porchetus in victoria contra Iudæos p. 1. cap. 13. refert, hanc glossam esse R. Ananiæ super verba hæc, Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, &c. Certè in Scriptura nullus est locus, vbi narretur, fecisse Bersabee coronam filio suo Salomoni. Iure optimo Caietanus explicās inscriptionem Psalmi 71. ait, Salomonis vocem in hoc titulo positam epitheton esse Messiæ; Genebrardus patronymicum putat esse nomē, quod Messiam significet. Cùm ergo Christus, quem catholica colit & adorat Ecclesia, fit, semperque fuerit verus Messias, cuius regnum, & dominium, tam spirituale quàm temporarium in Psalmo citato prædicitur; idque plurima annuntient Scripturæ loca: quis dubitare potest conuenire illi hæc cantici nostri verba: *Dominus regnabit in æternum, & vltrà?*

D. Aug. to. 4. Galatinus. Iansen. Driedo. Galatin. Cant 3. R. Moses. Porchetus. Genebrard. In Psal 71. Christi regnū spiritale, & temporarium prædicitur.

VIII. Cæterùm, spiritale dominium pleno iure Christo, etiam dum in mortali carne vixit, competere, qui neget, Catholicum inuenies neminem. Temporarium dominium & regnum, quòd id, dum vixit, non exercuerit, plerique illi negant. Primùm, quia Ierem. 22. apertissimè dicitur, post regem Iechoniam, nullum iam ampliùs regem, nimirum qui temporaria & absoluta ditione regnet, de semine David futurum. *Hæc dicit Dominus* (inquit Deus Ieremiæ) *Scribe virum istum*, id est, Iechoniam: *Sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat vltrà in Iuda*, vt habet Vatabli translatio. Habes, in Regum hist. Ioachim successisse in regno Mathathiam patruum eius, quem Nabuchodonosor vocauit Sedeciam, in quo regnum Iuda finitum est. Theod. Nec proferat, inquit, quis in medium Zorobabelem, qui à Iechonia descendit. Non enim rex fuit populi, sed gubernator eius, & dux exercitus. Christus autem ex hoc deducens genus secundùm carnem, in Dauidico throno non sedit. Sed supra omnem principatum, & omne nomen: spiritali scilicet iurisdictione. Deinde, quia Ioan. 18. dixit Christus, *Regnum meum, non est de hoc mundo: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt nō traderer Iudæis; nunc autem regnum meum non est hinc, &c.* Quibus verbis non solùm videtur Christus negasse, aliquam sibi esse regni temporarij administrationem (id enim Pilatus & Iudæi omnes experti erant) sed ius etiam regnandi. Percunctatus est ergo Pilatus, an ius regni sibi competere crederet, quo Cæsari posset officere: cui percunctationi respondit, se mundi huius regem non esse. Tertiò, quia in sacra Scriptura, quoties de Christi regno aut dominio fit mentio, toties apponitur aliquid, quo Regis nomen ad spiritualem transferatur potestatem. Sic Matth. 28. postquam Dominus dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; Subiungit, quod ad spiritalem pertinet iurisdictionem: *Euntes ergo, prædicate Euangelium, baptizantes, &c.* Et Psal. 2. *Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo super*

Quidā negāt Christo temporarium dominium. Ierem. 22. Post Iechoniā, de semine David nullus regnauit. Vatab. Ioan. 18. Matth. 28. Psal. 2.

per Sion montem,&c. Mox addit; *Prædicans præceptum eius.* & Psal.44. Scriptum est: *Intende, prosperè procede; & regna.* Mox qualitas regni & potestatis denotatur: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, &c.* *Psal.44.*

IX. His accedunt Patrum grauissimorum sententiæ, explicantium, non solùm loca Scripturæ à nobis recitata, sed alia præterea quàplurima de regno Christi spiritali. Locos tãtùm horum Patrum indicabo. Ambr.lib.3. super cap. pen. Lucæ; Hiero.lib.4. Commentariorum super Ieremiam cap.22. super illud: *Scribe virum istum sterilem, &c.* Oritur, inquit, quæstio, quomodo stare possit Prophetia, nullum de stirpe Iechoniæ esse generatum, qui sederit super thronum Dauid? Cùm Dominus noster, de huius natus sit semine, & dederit ei Dominus sedem Dauid, &c. Et mox potest solui: non sedebit quidem super thronum Dauid vir & homo, sed sedebit Deus, regnumq; eius erit, non terrenum scilicet, & breue, sed perpetuum & cæleste, &c. D. Gregor. homil. 8. super Euang. Christus, inquit, non in parentum domo, sed in via nascitur; vt profectò ostenderet, quia per humanitatem, quã assumpserat, quasi in alieno nascebatur: alienum, videlicet, non secundùm potestatem dico, sed secundùm nostram naturam, &c. D. Aug. lib.17. de Ciuit. cap.7. & tract.115. in Ioannem. D. Athanas. in Orat. de Sanctissima Virgine Deipara prope finem, D. Chrysost. homil.6. super cap.2. Matth. Magnus Basil. quem refert D. Thom. in catena Luc.1. Super illud, *Regnabit in domo Iacob, &c.* Tertullianus in lib. aduersùs Iudæos, §. probatio natiuitatis Christi, explicans illud Psal.44. *Diffusa est gratia in labijs tuis,* &c. *Accingere gladio tuo,* &c. *Specie tua,* &c. *Propter veritatem,* &c. Valde, inquit, absurdum est, si, quem ad bellum ense cingebat, ei de specie decoris, & labiorum gratia blandiebatur. Quis enim ense accingetur, & nõ contraria mansuetudini assumat? Et paulò antè: scilicet, ad arma, vagitu conuocaturus erat puer: & signum belli, non tuba, sed crepitacillo daturus: & non de muro, sed de nutricis, & gerulæ suæ gremio, hostem designaturus. Hæc Tertul. docens, Christum alium modum regni ac dominij, quàm cæteri principes obtinent, spiritalem scilicet habiturum. Idem sentit Theophyl. Luc.1. Bernard. hom.4. super Missus est: *Dabit, inquit, Dominus ei sedem Dauid Patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternã, &c.* Vide etiam Bed. super c.1. Lucæ. Non prætermittam Rabbinorum insaniam, qui, quod Plutarchus de Lycurgo Lacedæmoniorum legislatore refert, in illius vita, Mesiæ attribuunt. Affirmãt enim Mesiam suum, in maxima natum paupertate, cùm regno potiri non posset, vagum, & errabundum ad varias abiisse mundi regiones; stipéque vndequaque emendicata, diuitias adhuc colligere, quibus conflato magno exercitu, regnum sibi comparet, & dominij sibi debiti, sedem obtineat. Quid, quæso te, dici potest absurdius?

Patrum sententia de regno Christi. *Ambros.* *Hieron. Ierem.22.* *Greg. P.* *August.* *Athan. to.3.* *Chrysost.* *Basil.* *Tertull.* *Psal.44.* *Nota Christi pueri arma ex Tertull.* *Theophyl.* *Bernard.* *Plutarchus.* *Rabbinorum commentum absurdissimũ.*

X. Vt tamen id, quod volumus, magis dilucidè intelligatur, statuendum imprimis est, Christum, dum inter homines vixit, vix, aut nunquam, regiã, aut despoticam exercuisse potestatem; quod mihi videtur sensisse Patres, quorum fecimus mentionem, dum regnum illi tantùm spiritale concedunt. Deinde absolutè definiendum esse existimo, Christum, etiam in hac mortali & peritura vita agentem, verum habuisse regnum, verumq; dominium: etenim D. Thom. qui multorum instar mihi est, in opusc.20. lib.3. de regimine principum c.12. & 13. Christum affirmat, iam inde à sua natiuitate, temporariam & veram rerum

Christus in hac mortali vita agens verus fuit Rex. *Autoris sententia.* *D.Thom.*

rum omnium habuisse potestatem. In cuius rei signum (inquit ille) tēpore suæ natiuitatis, descriptus fuit vniuersus orbis per Cæsarem, qui ex commissione Christi, & vice Christi mundi administrabat imperium. Hæc ille; quæ si vera sunt, vt re vera sunt, quis inficiari queat, regem esse eum, ex cuius commissione temporariam Cæsar obtinebat imperij administrationem? Hinc illa à Magis puero Christo, & in præsepi vagienti, tanquam vero eorum Regi & Domino facta adoratio, & præstita obedientia. Hinc prohibitio illa, qua, Christo nato, vetuit Cæsar ne quis se dominum deinceps appellaret. Quod propterea fecit, vt autor est, post Magistrum in historiis Amb. Et Innocentium III. atque alios, Aluarus Pelagius de planctu Eccl. lib. 1. cap. 4. ad finem. D. Anton. 1. p. hist. nu. 4. c. 6. §. 10. quia Sibylla Tiburtina, Romam veniens, mirabilem illi in cœlo virginem ostendit, quæ luce quoquo versum circunfusa puerum splendidissimum in sinu haberet, qui solus Rex esset, & Dominus orbis. Baron. in apparatu ad Annal. Eccl. tom. 1. negat Sibyllam aliquam tempore Augusti vixisse, solumq; concedit, aram ab Augusto Romam reuerso, in capitolio erectam hac inscriptione notatam: ARA PRIMOGENITI DEI. Ita etiam Suidas in Augusto, & Cedrenus in compendio hist. Porrò de dominio X. quod Octauianus super omnes Reges futurum Deo disponente didicit; ac idcirco præcepit ne quis, vt Deum, ipsum adoraret, vel dominum vocaret. Vide D. Thom. loco citato, Paulum Oros. lib. 6. cap. 18. Baptistam Mantuanum lib. 3. Parthenices; Abulensem in Chronicis; Aluarum Pelagium lib. 1. de planctu Ecclesiæ art. 40. ad finem. Pudeat ergo viros catholicos, eum mundi regem absolutissimum negare, quem in sinu matris Sibylla siue Sibyllini libri, vt mauult Baronius in Apparatu, Romanusq; Imperator Sibyllina carmina, quibus valde deditus erat, scrutatus, sine diuitiarum & aulicorū cinctu, Regem ac dominum confitentur: præsertim, cùm Theologorum vertex (D. Thom. intelligo) asserat, quicquid Christus nunc habet à dextris Dei sedens, idipsum (dummodo viatoris non repugnaret conditioni) in vtero virginis, ab instanti suæ cōceptionis habuisse. Solænè ergo regis ac Domini dignitates, quibus nunc in cœlo decoratur, Christo defuêre, in vtero virginis existenti? At, deerat vsus? deerat; sed hunc, ad rei dominium requiri pernegamus. *Quanto tempore* (inquit Paulus ad Gal. 4.) *heres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omniū*, &c. Christum autem considerant eruditiores Theologi, prout in hac vita erat, tāquam si infans, aut paruulus esset, qui proinde à seruo nihil differre videretur, cùm tamen esset Dominus omnium. Nec verò, cùm ait post resurrectionem: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*: Significat, tunc primò ius & dominium cœli, & terræ sibi à Patre demandari, sed id tantùm indicat, quod in confesso est, vsum sui imperij ex eo tempore cœpisse innotescere, & manifestari prædicatione Apostolorum; sicut & iudicandi potestatem, de qua Ioan. 17. *Potestatem dedit ei, iudicium facere, quia filius hominis est*: Vt enim ait D. Thom. 3. p. q. 59. art. 4. Potestas iudicis, sequuta est in Christo regiam dignitatem. Et Abulens. super cap. 25. Matth. q. 527. Iudicium, inquit, aliquod dominium in iudicante requirit. Quis verò est, qui neget, agnosci Christi regnum, & dominium ab omnibus cœli, terræ, & inferorū incolis, si Paulum audiat ad Philipp. 2. dicentem: *In nomine eius omne genu flectatur cœlestium*, &c.

Cæsar ex commissione Christi, mundi administrauit imperium.

Paulus Oros. Mantuanus. Abulensis. Aluar. Pelag.

Vsus non exigitur ad veram dominij rationem. Galat. 4.

Matt. 28.

Ioan. 17. D Thom. Abulens. Matt. 25.

Philipp. 2.

XI. Doctores, qui nobiscum consentiunt, præter Iurisperitos, qui numerati

rari vix possunt, ij sunt. D.Thom.loco indicato, & opusculo 29.lib.3. de Regimine principum cap.12. & 13. Armachanus lib.4. de quæstionibus armenorum cap.16. D.Antoninus 3.p.tit.22.cap.5.§.8.Paul.Burgens. Matth.1. addit.2. conclusione 3.Abulens.Matth.25.q.327. Galatin.lib.4.cap.26.27.& 28. Viguerius cap.17.de statibus Eccles.§.1.vers.18. Arboreus lib.3. Theosophiæ cap.5.A.Pelagius lib.1.de planctu Eccles.art.37.& 40.& 59. Almainus de potestate Eccles.cap.8.& 15. Possem alios recensere, sed non est nostri instituti in his quæ scholasticam sapiunt diligentiam, multùm immorari. Solùm aduerto,id quod de Iechoniæ regno suprà dictum est,id solùm concludere,Christum, non iure hæreditario, vt copiosè docet Almainus, loco cit. cap.8. sed ex dono Patris, & redemptionis titulo, vniuersum orbis regimen, & dominium obtinuisse. Regnum verò suum dixit, non esse ex hoc mundo, id est, imbecillum & caducum,vtpotè quod à ministris robur accipiat, temporúmque patiatur vicissitudines. Vnde, vt obseruat Theophyl. non ait: *Regnum meum non est hic*; sed,*non est hinc*. Quod explicans Chrysost.Cùm dicit,inquit, *Regnum meum non est hinc*; non priuat mundum à sua prouidentia, & prælatione, sed ostendit, regnum suum, non esse humanum, nec corruptibile. Et August. Non dicit, non est hic; hic est enim regnum eius, vsque ad finem seculi, habens inter se commista *zizania vsque ad messem*; sed tamen, non est hinc, quia peregrinatur in mundo, &c. Rursus, idem Theophyl.Hic,inquit, imperat, & regit (nempe Christus) alioqui quomodo intelligeretur, *In propria venit*, si mundus hic non esset eius proprius?

D.Thom. Armachanus. D.Anton. Burgens. Galatin. Viguerius. Arboreus. Pelagius. Almainus. Ierem. 22. Christus dono Patris rex, non iure hæreditario. Quo modo intelligatur regnum Christi non esse de hoc mundo. Theophyl. Chrysost. August. Matth.13. Theophyl. Ioan.1.

XII. Quod autem aduersæ partis assertores dicunt in locis Scripturæ, in quibus de Christi regno agitur, aliquid subnotari semper, quod ad spiritalem pertineat potestatem: id ego negare nec possum, nec debeo: hoc enim non oppugnat, sed propugnat potius nostram sententiam. Quid enim ego? Christum vtranque eo fœdere habuisse potestatem spiritalem,scilicet,& temporariam, vt hanc in illam semper, tanquam ad scopum direxerit. Potestas nanque regia (vt Alex. Alens. 3.p.q.48. memb.1. art.2.ait) cùm ordinata est, nunquam dissidet à potestate sacerdotali, siue spiritali. Quid Patres, qui nobis aduersari videbantur, sentiant, suprà explicauimus. Solùm enim aiunt, si rectè illorum verba expendantur, Christum non fuisse regem militum copiis formidabilem, aut magistratuum, & aulicolorum magnifico apparatu sublimem. Decens nanque fuit, & diuinæ bonitati consentaneum, vt Messias, quem Deus humilitatis, patientiæ, paupertatis, omniúmque virtutum magistrum mundo dederat, efficax nobis præberet exemplum caduca hæc bona despiciendi. Et verò mei iudicij est, vt putem, perfectum & valde efficax,nobis despicientiæ rerum humanarum à Christo præstitum fuisse exemplum, cùm ius regni & dominium habens, vsum tamen, & tantæ potestatis exercitium à se tantisper abdicauit, dum inter homines agens, legem sanxit, & exempla præbuit quibus facilem illis in cœlum, & expeditam aperiret viam: Christus ergo, qui Rex semper fuit,& rerum omnium Dominus,ad finem vsque mundi regnabit:Nec hic meta:vltrà adhuc in omnem æternitatem suum proferet Imperium.

Explicantur obiectiones. Alex.Alens. Christus abstinens ab vsu dominij, quod sẽper habuit, exemplũ præbuit despicientiæ rerum humanarum. Christus semper Rex, & Dominus fuit, & futurus est.

P   Vers.

Vers. XVIII. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.*

Omnis locus, in quo Deus regnare dicitur, quales peculiariter sunt sacræ ædes, cum veneratione colendus est.

ANNOTATIO IV.

I. QVa veneratione, & cultu adorandus sit Deus in locis sacris, ipsemet, qui in eis sedem habere dicitur, & regnare, apertè nos docuit; dum Mosi, Exodi cap.3.præcepit, vt memor loci, in quo erat, calceos detraheret. Sic enim inquit: *Ne appropies huc: solue calceamenta de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Aliqui Patres, præter hanc causam (quam tamen magni faciunt) alias inuestigant. Primò, Theodoretus q.7.in Exodum, quærit cur iussus sit Moses calceamentum soluere? recitataque quorundam sententia, qui dicunt, Deum ea re significasse, vt solicitudines, & adhærentes vitæ mortali curas, abiiceret: quandoquidem pelles, ex quibus conficiuntur, demortuorum animalium sunt tegmina: & aliorum, qui, id præceptum fuisse Mosi affirmauerunt, vt terram illam pedum suorum sanctificaret nuditate: suam ipse tandem interpretationem subiungit. Duo, inquit, arbitror, per hoc significari. Primùm quidem, vt religiosiorem Mosem redderet: deinde verò, vt prædoceret eum, qua ratione, oporteret sacerdotes in tabernaculi ministerio deseruire. Nudis enim pedibus illi sacrificia peragebant. Hæc ille.

Exod. 3. — *Theodoret.* — *Cur Moses iussus sit calceos detrahere?* — *Moses nuditate pedum sanctificabat terram.* — *Sacerdotes nudis pedibus sacrificia peragebant.*

II. Secundò, D.Ambros. lib.7. Commentariorum super Lucam, cap.10. annotauit, depositionem calceamentorum, quæ fiunt ex pellibus mortui animalis, significasse Mosi, duci futuro, vt deposito mortis metu (nam & Gentiles pedem vinclis exuebant, vt se ad mortem ferendam paratos significarent. Vnde de Didone dictum est:

Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Testatur moritura Deos &c.)

audacter aggrederetur munus liberandi populum Israëliticum ab Ægyptiorum iniuriis. Huius (inquit Ambrosius) minister muneris, timere nihil debet; nec à suscepto officio mortis periculo retardari. Hæc Ambrosius, explicans illa verba: *Non peram, non calceamenta &c.* Addit rationem, cur iubeatur Moses calceos exuere. Ille quidem ante annos 40. defendere ab iniuria Hebræos, Ægyptio interfecto, aggressus est: verùm mortis timore, & ab incepto destitit, & in terram Madian aufugit. Iuxta hanc annotationem, iubemur coram Deo, qui locis sacris peculiariter præsens est, omnes mundi formidines, & terriculamenta, abiicere: & in ea functione perseuerare, cui nos diuinum addixit Imperium. Nam alioqui, qui iter facturi sunt, calceos induunt, non exuunt. Vnde Exod. 12. Hebræi epulaturi, & legalem agnum sumpturi; calceis induti erant, ad iter faciendum veluti accincti. Quod autem Deus præcepit Mosi, vt solueret calceamenta; idem post annos quadraginta ad ipsum imperauit Iosue, terram promissionis ingredienti. Hos enim duos principes elegit Deus, vt in ministerio religiosi cultus, quamuis bello interdum destinerentur, assidui essent, & perseuerantes.

Ambros. Luc. 10. — *Virg. Æn. 4.* — *Ambros.* — *Exod. 12.* — *Iubetur Moses & Iosue nudare pedes, vt omnes abiiciant metus mortis, calceis significatos.* — *Iosue 5.*

III. De

III. Depositione calceorum significari arbitror, accedendum esse ad loca sacra rerúmque diuinarum contemplationem, absque illis regulis & cogitationibus vanissimis quibus res humanæ, quæ mortalem conditionem sequuntur, æstimari solent: rectè enim monet nos Sapiens, Ecclesiastici 3. his verbis: *In pluribus operibus Dei; ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis:* monet, inquam, nos, vt mortalitatis nostræ memores, sobriam colamus sapientiam. *Scrutator nanque maiestatis* (vt scriptum est Prouerb. 25.) *opprimetur à gloria*: Hinc patet, qua veneratione ædes sacras, in quibus, non solùm Dei mysteria hominibus communicantur, vt Mosi olim in rubo; & Iosue in Galgalis; sed ipsemet Deus, admirabili modo præsens in sacrosancto Eucharistiæ mysterio assistit, deceat colere, illarúmque maiestatem religiosè revereri. Hic Deus verè regnabit in æternum, hoc est, vsque ad consummationem seculi, vt in Euangelio discipulis, & Ecclesiæ suæ est pollicitus: cœlesti curia illum in ipso mysteriorum tempore (vt D. Chrysost. & D. Gregorius P. aiunt) stipante. Næ, ego, Eucharisticum sacrificium in templo peragi quoties considero, toties illud occurrit, quod olim quidam ethnicus cecinit:

Coram Deo abycienda sunt rerum caducarum cura. *Eccles. 3.* *Prouerb. 25.* *Templorũ veneratio.* *Exod. 3.* *Iosue 5.* *In Euch. Angeli circũstant Christum.* *Chrysost.* *Gregor.* *Ouid. Metamorph. lib. 1.*

Hic locus est quem, si verbis audacia detur,
Non dubitem magni dixisse palatia cæli.

Vers. XIX. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit Dominus super eos aquas maris.*

Explicatur literaliter, & mysticè ingressus Pharaonis in mare, & reductio aquarum.

ANNOTATIO V.

I. HÆc verba: *Ingressus est enim eques Pharao &c.* aptè coniunguntur à Ruperto cum superioribus; nempe: *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Videntur enim continere rationem quam reddere quis potest, si interrogetur vnde compertum habeat, fore vt Dominus regnet in æternum. Hoc enim, si quis roget; respondebimus: *Ingressus est eques Pharao &c.* Quare nisi ille in mare ingressus fuisset, & nisi super eum aquas Dominus reduxisset; aliunde quidem de potestate diuina fidem haberemus, sed non tam euidens argumentum. Intrauit nanque mare rubrum Pharao: ingressi sunt cum eo omnes equites, qui electi ad sexcentos erant: cæteri milleni quinquageni, vt Iosephus ait lib. 2. Antiquit. pedites verò bis centies milleni: *Et induxit Dominus super eos aquas maris.* Nam aquæ ad ingressum eorum, & Israëlitarum, quasi murus, vtrinque steterunt. Ægyptiis autem terrore vehementi diuinitus immisso, perculsis, & terga vertentibus, reductæ in solitum morem aquæ incubuêre, flante Austro, de quo suprà dictum est: *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare.* Atque, vt beneficij in populum Dei collati magnitudo ad pietatem animos legentium inflammet; pauidasque mentes excitet ad numinis diuini, in suos benignitatem considerandam: *Filij* (inquit Moses) *Israel ambulauerunt per siccum:* id est, per fundum maris desiccatum, vt interpretatur Abulensis.

Rupert. *Numerus Ægyptiorum qui cum Pharaone perierunt.* *Iosephus.* *Abulens.*

Nam post diuisionem maris, misit Dominus ventum Orientalem calidum, fundum maris tota nocte desiccantem, vt constat ex cap. 14. Exodi. Particula, *in medio maris*, idem est atque, *intra mare*.

Exod. 14.

II. Ad sacri contextus vberiorem declarationem illud quoque spectat, quod aduertit Cornel. Iansen. videlicet pro, *Ingressus est enim eques Pharao*: in Hebræo esse: *equus Pharaonis*: quod etiam nos in expositione huius versiculi annotauimus. Id tamen addit, quod scire volupe est. Antiqui, inquit, quidam nostri codices etiam habent: *equus Pharao*: vt omnino sit verisimile, hanc esse veram lectionem, quam aliquis deprauauit, non intelligens nomen *Pharao*, esse genitiui casus. Cùm autem singulariter dicitur, *Equus Pharao*; aut singularis numerus est positus pro plurali; aut *equus* collectiuè positus est pro *equitatu*: Legendum autem, *equus*, non *eques*; etiam illud probat, quod D. Hieronymus verterit: *cum curribus, & equitibus suis*: adhibito nimirum pronomine reciproco. Ita ferè Iansennius. Cæterùm in Bibliis iussu Sixti V. Pontificis summi vltimò correctis, habetur: *eques Pharao*: non verò: *equus Pharao*, aut *equus Pharaonis*. Et quidem rectè, quicquid dicat Iansennius, si enim, equus positus est, vt ille ait, pro equitatu: cur eques in eadem significatione non accipietur? Imò eques, pro equo, eleganter interdum ponitur apud profanos scriptores. Vnde Poëtarum princeps de equis loquens, ita scribit in Georgicis:

Iansen. *Hieronymus.* *Sixti V.* *Virgil. lib. 3. Georg.*

Frena Pelethronij Lapithæ, gyrosq; dedere
Impositi dorso: atque equitem docuere sub armis
Insultare solo: & gressus glomerare superbos.

III. Ad mysticam explanationem pertinet, allegorica & ænigmatica Ruperti expositio. Diabolum nanque Pharaonis nomine intelligit, diuina attritum & debellatum virtute. Sic enim sententiam, vt suæ cohæreat interpretationi, contexit. Si quæras, inquit, vnde scis quòd Dominus regnabit? rationem Moses reddit huiusmodi: *Ingressus est enim Pharao &c.* Ergo nisi ille in mare ingressus fuisset, & Dominus super eũ aquas maris reduxisset, Dominus non regnaret? Planè regnaret vbiq; potestate, sed non regnaret illa hominum possessione, quam Propheta Isaias suspirans, *Et possederunt nos*, inquit, *Domini absq; te*. Nisi, inquam, fuisset oppressus ille Pharao spiritualis, Dominus non regnaret in nobis: id est, nisi fuisset eiectus princeps mundi, non possideret nos Christus Filius Dei; non regnaret in nobis Saluator mundi. Hæc ille.

Rupertus. *Pharaonis nomine diabolus intelligitur.* *Isaia 26.*

IV. Venerabilis Beda super cap. 14. Exodi, per iunctas quadrigas, & currum Pharaonis, intelligit vnumquémque peccatorem, cum gula, fornicatione, ita & superbia, tendentem in exitium. Virga autem, qua reductæ sunt aquæ maris ad demergendum Pharaonem, crux Christi est, quam per Baptismum accipimus. Inimici sequentes cum rege, qui à tergo moriuntur, sunt præterita peccata, quæ diluuntur, & diabolus in spirituali lauacro, id est, Baptismo, suffocatur. Vrgent quidem Ægyptij, vrgent peccata, sed vsque ad aquam.

Beda. *Pharao incurru peccator est cum gula, ira, & cæteris vitiis in exitiũ tendens.* *Virga, qua reducta sunt aquæ demergẽtes Pharaonẽ, crux Christi est.*

V. Aquæ, per quas filij Israël exierunt, pro numero, tres significant fletus, vt annotauit Beda. Fletum pœnitentiæ, per trãsitum maris rubri significatum: vnde dicitur Matt. 5. *Beati qui lugent, &c.* Per aquas Arnon: fletum compassionis intelligimus, quo madens Apostolus, inquit, *Alter alterius onera portate*, &c.

Aquæ maris fletum significant. *Beda.* *Matth. 5.*

Per

Per aquas Iordanis;fletum desiderij,quoad patriam cœlestem aspiramus, accipe.Hoc impulsus desiderio Paulus, *Cupio*,inquit, *dissolui, & esse cum Christo.* At,dices:quis nos adiuuabit in variis vitæ huius fluctibus, ne obruti cum Ægyptiis pereamus?Tres,inquit Beda, cooperati sunt in salutem populi Israëlitici;Deus,Moses, & virga. Hinc nos figuratè intelligimus, cooperari nobis gratiam animis à Deo immissam:sacerdotem,qui prępositus est,siue præfectus spiritualis:virgam denique,quæ ieiuniis, & aliis pœnis, lasciuientes & effrenatas animi cupiditates coercet ac frangit.

Gal.6. Aqua Iordanis significant desiderium patriæ cœlestis. Philipp. Beda. In transitu huius vitæ iuuamur à gratia, sacerdote, & virga pœnitentia.

VI. Origenes, loco citato ad finem, Ægyptios figuratè vocat eos qui diabolum vitæ ducem sequuntur: admonétque nos vt Christum ducem sequamur,quò euadere valeamus è fluctibus vitæ laboriosæ, ad spem vitæ sempiternæ,& diuinas laudes,cum Dei populo cantillare. Qui Ægyptius est, inquit,& sequitur Pharaonem, ille vitiorum fluctibus mergitur. Qui verò sequitur Christum,& sicut ipse ambulauit,ita & ipse ambulat: aquæ, ei murus fiunt;dextra læuáque:ipse autem media via incedit per siccum. Non declinat ad dexteram neque ad sinistram, vsque quo exeat ad libertatem,& hymnum victoriæ Domino concinat,dicens,*Cantemus Domino,&c.* Hæc Origenes.

Origenes. Ægyptius est, qui diabolum ducem sequitur.

Vers. XIX. *Et reduxit super eos Dominus aquas maris.*

Laxare iterum aquas,non minùs ad miraculum pertinet, quàm antè continuisse.

ANNOTATIO VI.

I. Mirificè illustrat miraculum, quo in mari patefacta est via filiis Israël: quòd, vt aquæ ad ingressum Hebræorum subitò diuisæ sunt:ita illis, ad littus egressis, in pristinam coierunt naturam. Moses enim sua virga, vt aquas antè diduxerat:ita eadem,cùm voluit, denuò coniunxit. Sic enim scriptum est,cap.14.Exodi:*Cumq; extendisset Moses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum,&c.* Aliquid simile euenisse in reductione aquarum Iordanis in alueum suum,colligit Masius super cap.4.Iosue.Imperatoris, inquit,iussu sacerdotes,vt antè ingressi in aquas, subitò eas diuisêre:ita egressi,rursus committunt. Quippe non dubitamus, quin ideò, vt antè in aquam pedes mergere,atque in alueo insistere; ita nunc egredi, disertè à Iosue, esse sacerdotibus imperatum,memoretur:quò res tam admirabiles; dico aquas refrenatas,atque cohibitas; & rursum laxatas; ipsius auspiciis adscriberentur, tanquam diuino nutui consentaneis: ac proinde ipsum omnes, vt Dei ministrum,reuererentur. Nam tunc quoque demum Israëlitas credidisse Deo & Mosi,narrat sacra historia,cùm denuò,protensa manu,aquas maris, quas antè diuiserat,consociasset. Hæc Masius.

Exod.14. Masius. Iosue 4. Reductio aquarum maris,& Iordanis ad imperium Mosis, & Iosue. Masius.

II. Ego,considerato Hebræorum ingenio,non dubito, reuertisse in morem suum Iordanis aquas,post egressum sacerdotum, iussione illi simili, qua Exod.cap.14.vsus est Moses. Nisi enim, & illic fluminis, & hîc rubri maris fluctus,quorum nutu repressi coactíque aduersùs suam ipsorum naturam, in cumulos constiterant; pro eorum rursus arbitratu soluti, more solito fluxissent:

Exod.14.

Reductio aquarum iussione Mosis facta fuit, ne si aliter fieret ad causas naturales Iudæi miraculum referrent.

sent: ingrati homines, & ad detrahendum Dei, & ministrorum eius laudibus proni, facile rerum illarum euentum, vel ad fortuitum casum, vel ad occultas naturæ causas retulissent potiùs quàm ad Dei erga suos munificam & liberalem prouidentiam. Quid enim? dicerent, accessus, & recessus aquarum, ex occultis causis in eo freto, cùm in reliquo mari frequentes sint, tunc contigisse: profectámque admirationem à rei nouitate, non autem à miraculo. At, nunc erepta est omnis calumniæ occasio; postea quàm in vtriusque ducis manu fuisse cognitum est, vt cotrahere aquas; ita, quò visum est, momento rursus diducere. Hinc fit vt non minùs pertinuerit reductio aquarum super Ægyptios, cùm Moses voluit, ad miraculum: quàm earundem, vt transiret Israël, tactu virgæ patefactio.

Vers. XIX. *Filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius.*

Qualis fuerit Israëlitis, patefacta in mari via?

ANNOTATIO VII.

Sap. 19.

I. Eleganter Sap. 19. vt suprà annotauimus, exprimitur, qualis via diuinitus aperta sit filiis Israël in mari rubro. *Terra*, inquit, *apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento, &c.* Parum fuit diuinæ prouidentiæ iter præbere populo suo, vt sicco transiret pede: omnia etiam remouit, quæ plantas, aut vestigia retardare poterant, impedimenta. Quin etiam ex hilari quadam herbarum viriditate, quasi Indica aut Persica attexuit peristromata. *Viam fecisti in mari* (inquit, Habacuc 3.) *equis tuis in luto aquarum multarum, &c.* Cùm enim Ægyptij, certò se deuoraturos confiderent gladiorum mucronibus Israëlitas, atque ea iactarent, quæ Turnus apud Latinum Poëtam, Æneid. 9.

Herbarum viriditas in mari.
Habacuc 3. explicatur.
Virg. Æn. 9.

Ergo maria inuia Teucris,
Nec spes vlla fugæ, &c.

Deus ventis vtitur vt quadrigis.

Tunc Deus aduocatis nubibus, & validissimo ventorum impetu, quibus veluti equis & quadrigis vti solet, se præsentem exhibuit Israëli; viámq; in mari aperuit, qua saluus & innoxius mare transmitteret; Ægyptij verò submergerentur. Hoc illud est: *Qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua saluatio.*

Deus populo transeunti mare, veluti vento immisso, vada prætentauit.

II. His Deus equis in mari viam præbuit, & quasi substrauit: quin, veluti vada ante populum suum ipse prætentauit. Abstulit quippe illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisáque est aqua. Hoc ipsum significant quæ sequuntur, *in luto aquarum multarum*. Neque enim aqua duntaxat diuisa est, sed exsiccatum quoque reddidit Dominus maris fundum: ita, vt non tantùm ab aquis nihil læsi fuerint Hebræi, sed neq; luto, aut cœno sunt impediti, quominùs alacres oram littoris vlteriorem tenerent. Hinc Regius Vates, Psalm. 105. *Saluauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam, & increpuit mare rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in abysso, sicut in deserto*: & Psalm. 76. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis; & vestigia tua non cognoscentur.* Quod Dauid ait Psal. 105. *Increpuit mare*, &c. Hoc miraculum patefacti maris, horrificis nubibus, in morem quadrigarum, coactis; imbres grandinémque quoquò versum eiaculantibus; atque ventis,

Psal. 105.
Psal. 76.
Psal. 105.
Quid sit increpare à Deo mare?

equo

equorum instar, in hostes Dei concitatis, peractum fuisse declarat. Sic enim filij Israël splendore nubis illius prælucente, ambulare potuerunt per siccum in medio mari.

Splendor nubis, quæ terrori erat Ægyptijs, prælucebat Israëli.

Vers. XIX. *Ingressus est enim eques Pharao, cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris. Filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius.*

Artificium, quo attexitur epilogus huius cantici.

ANNOTATIO VIII.

I. POstrema verba huius cantici manifestam continent anacephalæosin totius miraculi in carmine decantati. Et quidem Abulensis q.5. in c.15. Exodi, admonet in his verbis: *Ingressus est, &c.* duos contineri versus: quod etiam Cornel. Iansen. putat; licèt in vulgata editione, vnum censeatur carmē. Hi autem versus pertinent ad præcedens canticum, tanquam repetitio; aut ingeniosa Epistrophe, ad modum cantilenarum communium; in quibus adhibiti versus aliqui suauiores in principio, aut non procul à principio; postea ad finem interpositæ alterius sententiæ cum venustate, eisdem aut simillimis verbis, repetuntur. Sic apud profanos etiam videmus fieri scriptores. Nam, Martianus Capella, in lib.2. de nuptiis Mercurij & Philologiæ, in carmine in honorem nouæ nuptæ, à nouem Musis decantato, dum illa in cœlum subuehitur, sic scribit:

Anacephalæosis.
Abulens. Exod. 15.
Iansen.
Epistrophe.
Martianus Capella. Philologia cū Mercurio nuptia, & apotheosis.

Scande cœli templa virgo,
Digna tanto fœdere:
Te socer subire celsa
Poscit astra Iuppiter.

Atque hi duo versus, propterea nouies repetuntur, quia quælibet nouem Musarum ad finem carminis sui eos apponebat. Sic Virgil. Eclog. 8. quæ incipit: *Pastorum Musam*, &c. valde artificiosè intercalares duos versus passim repetit:

A nouem musis nouies repetitum carmen.
Virg. Eclog. 8.

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.

Item: *Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.*

Idem artificium obseruatur ab Ouidio, in epistol. Deianeiræ ad Herculem: vbi post quamlibet rationem optandi sibi mortem, vxor, quæ viro mortem attulerat, facti pœnitens, ait:

Ouid. in Herod.

Impia quid dubitas Deianeira mori?

Laudatissima est illa Epistrophe, Psal. 135. qui incipit: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Confitemini Deo Deorum, &c.* Vbi hoc hemistichium intercalare, *Quoniam in æternum misericordia eius*; vicies septies interponitur. Versus autem intercalaris, vt annotauit Genebrardus, cantabatur, & repetebatur à populo, vt fit in nostris litaniis: vel à Leuitis, & sacerdotibus, vt fit in Odæo.

Psal. 135. Versus intercalares cantabantur à sacerdotibus, & à populo repetebantur, vel à Leuitis. Genebrard.

II. Quare, in Mosis cantico illa verba: *Equum, & ascensorem deiecit in mare.*

re. Electi principes eius demersi sunt. Flauit spiritus tuus,& operuit eos mare. Currus Pharaonis,& exercitum eius proiecit in mare. Tandémque hæc postremo loco adhibita: *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus, &c.* Præter anacephalæosin, continent etiam iterationes eiusdem sententiæ, cum voluptate repetitæ.

CANTICI MOSIS SECTIO XI.

Vers. X X. *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæq; sunt omnes mulieres post eam, cum tym-*
X X I. *panis & choris: quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare.*

Pagnin. Nihil habet diuersum à vulgata editione. Dũtaxat pro, *Cantemus Domino,&c.* vertit: *Cantemus Domino, quoniam magnificando magnificatus est: equos & ascensores eius proiecit in mare.*

Vatab. Sic vertit: *Et sumpsit Maria prophetis soror Aaronis tympanum in manum suam,* &c. *Et Maria* (vicissim) *respondit eis: Cantate Domino: quoniam magnificè magnificentiam suam exercuit: equos & currus eius sublatos in altum deiecit in mare.*

70. Interp. Pro, *Sumpsit ergo Maria,* vertunt: *Sumens autem Maria*: in aliis libris: ἔλαβε, id est, *Sumpsit*: Pro *quibus præcinebat, dicens:* sic legunt: *Principium autem illis dedit Maria dicens.* Græcè ἐξῆρχε δὲ αὐταῖς, καὶ κατέλεγεν αὐταῖς. *Et dicebat eis.*

EXPLICATVR CONTEXTVS.

I. *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum.* Sicut Moses diuinas cecinit laudes, virorum instituens chorum, cuius ipse præfectus erat, & archimusicus: ita Maria soror illius, sumens in manus tympanum, cum fœminis, dux ipsa fœminei chori facta, idem canticum admodulata est. Consentaneum nanque rationi visum fuit, vt sicut Propheta viros excitauit ad decantandam hymnno, Dei, Hebræo populo propitij & fauentis, gloriam: ita Prophetissa, mulieres ad simile induceret studium. Atque hoc modo effectum est vt omnis sexus, suo applauderet creatori. Prima autem Maria, ex omnibus fœminis, sumpsit in manus tympanum, & cecinit ad imitationem Mosis, & principum qui cum Mose Deum laudarunt, quia ipsa veluti ductrix erat fœminarum; cùm ob nobilitatem; tum, vel maximè, vt admonet Abulensis, quia prophetissa erat: ob quam prærogatiuam, non solùm fœminis, sed & viris, si oporteret, præponi potuit, ac debuit: sicut Debora

Prophetam Mosen cantantem diuinas laudes, imitata est Maria prophetissa.

Maria ductrix fœminei chori.

Abulens.

ra prophetissa, quæ longo tempore iudicauit Israël, & pro tribunali sedens, controuersiarum nodos prudenter dissoluit, vt constat ex lib. Iudic. cap. 4. & 5. scitè hîc Caietan. aduertit, Mariam ex prophetiæ dono, non autem ex diuitiis, aut ex nobilitate commendari, dum prophetissa dicitur.

Maria à prophetia dono, non à nobilitate commendatur.

II. *Quibus præcinebat dicens &c.* Hebraizantes, in quibus numero Caietanum, pro particula, *quibus præcinebat*: legunt, *quibus respondit*, aut *respondebat*. Innuitur enim, vt Caietanus interpretatur, tot choris mulierum ex vna parte canentibus, aliquid in diuinam laudem à sola Maria fuisse decantatum, tanquam, quæ ex altera parte suprà scripti cantici insonare vellet initium. Quod eo verisimile videri potest, quia chori princeps erat, & quasi archimandritis. De tympano, & instrumentis, ad modos musicos respondentibus, infrà aliquid dicendum est.

Iudic. 4. & 5. Caiet. Caietan. Sola Maria initium cãtici modulata est.

III. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est:* Abulensis hanc explicans particulam versiculi primi, quem Maria repetiuit, falsum esse ait quod Iosephus ad finem libri 2. Antiq. commemorat: nempe, cùm Alexander persequeretur Darium fugientem: mare Pamphilicum ei & exercitui illius apertum fuisse, voluntate Dei, qui disposuerat, regnum Persarum, per Alexandrum delere. Falsitas nanque huiusce narrationis, eo, præter alia, argumento conuincitur à doctis, vetæque historiæ scrutatoribus; quòd nullus ex Chronographis, aut historicis in gestis Alexandri, quæ decantatissima sunt, huius rei (cùm tamen valde mira sit, & memoria posteritatis dignissima) vel obscuram saltem fecerit mentionem. Sed de his multa apud Iosue à nobis annotata inuenies. Hæc interim, ne quis Iosepho fidem habeat, & naturæ ascribat transiti maris rubri miraculum, libuit annotare.

Abulens. Iosephus. Falsa Iosephi narratio de mari Pãphylico Alexandri militibus patefacto.

IV. *Equum, & ascensorem deiecit in mare.* Quanuis hæc verba satis fuerint in exordio huius Cantici explicata: illud, quod Abulensis annotauit, licèt iam aliqua ex parte dictum sit, præterire nequeo. Affirmat enim, omnes homines (quod sacer textus non tacuit) & iumenta Ægyptiaca periisse in mari: adeò, vt ne equi quidem, qui enatare insita propensione possent, mortem euaserint. Decreuit quippe Deus, omnia quæ in castris erant impiorum, in nihilum redigere, vt & diuina agnosceretur potentia, & in vindicandis iniuriis numini illatis, iustitia. Si enim vel vnus equus, ne dum miles, è fluctibus emergens naufragium euaderet, non potestati diuinæ miraculum adscripsissent infideles, sed fortunæ. Vide quæ suprà dicta sunt, sectione 9. annotat. 5. Cæterùm, quia circa Mariæ, sororis Aaron, titulos, aliquid sublatet energiæ, ob typum quem gessit Mariæ, Magnæ Dei & hominis matris, nonnulla, quæ studiosus lector requirere potest, paucis huc conferam.

Abulens. Omnia, quæ in Ægyptiorum castris erant in nihilum Deus redegit. Mariæ soror Aaron, typus fuit Maria Dei matris.

Vers. XX. *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua.*

De Mariæ nomine, cantu, & choreis fœminarum.

ANNOTATIO I.

I. Miriam, hîc Hebraizantes potiùs quàm *Mariam*, vertendum esse contendunt. Sed fortè propter vocis asperitatem *Mariam* vertunt, tam

70.Interp. *Chal. Paraph.* 70.Interp. quàm Chald.Paraph.vbi & illud obseruandum est,literam, *m*, esse de ratione intrinseca huius nominis; ideóque non posse Græcè, ac Latinè declinari, nisi ea ratione, qua inflectimus Adam, Abraham,& quæ huiusmodi sunt. Est autem dissyllabum nomen. Porrò Hebræi Cabalistæ ita vocatam *Cabalista.* esse sororem Aaron, & Mosis asserunt, quia traditum est, ea nata, crudeli & amaro imperio cœpisse Hebræos à Pharaone Ægyptiorũ magistratibus exerceri. Nam Mara Hebraicè *amarum* significat. Et verò, licèt priùs seruierint, non tamen vsque adeò operibus luti aliisque vilissimis premebantur.

Maria nascēte cœpit Pharao persequi Hebræos: vnde à Maria, quæ vox amaritudinem significat, dicta est.

II. Quod ad cantum attinet hoc loco, pro, *quibus præcinebat Maria*: in Hebræo est,*vataban lahem Miriam*. Porrò quia *hana*, canere,& respondere,significat: vertunt hîc aliqui: *Et præcinebat illis Maria*: nempe, mulieribus, quemadmodum vertit etiam Latinus Interp. Quia tamen dictio, *lahem*, pronomen est masculinum hoc loco, & ad viros, non ad mulieres refertur (nam tunc esset lahen) ideò aliqui vertunt: *Et respondit*, seu *respondebat illis Maria*: Mosi scilicèt, & aliis viris præcinentibus. Vt enim illi dixerunt: *Cantemus Domino &c.* sic quoque illa, eadem verba protulit in laudem Dei. Chald. Paraphr. ita habet. 70. verò Interp. *Præcinebat illis Maria*, vel potiùs: *Incepit autem illis Maria*; hoc est, illa inchoabat: illæ consequebantur. Illa quasi præfecta,& chori moderatrix,exorsa est carmen: illæ adcantabant.

Chald.Parap. *70.Interp.*

III. Exemplo ergo virorum fœminæ canunt; addúntque tripudium;nec indignæ putantur,quæ à diuinis laudibus debeant abstinere. Choreas ducunt, non ad corporis illecebram, sed ad spiritus iucunditatem. Solenne nanque fuit Iudæis vt ad canendum in festiuitatibus fœminæ conuenirent. Quare sacris cantionibus alterna vice, vna aliqua præcinente, cæteris succenturiantibus, populum victoria lætum, aut celebritate alia honesta gaudentem, valde oblectabant.

Cantatrices apud Hebræos conuocabātur ad celebritates.

IV. Alternis igitur canunt modulis, sibíque mutuò respondent, in laudem conditoris sibi fauentis, affectu & voce effusæ. Quanuis autem primum tantùm versum sui cantici scribat hîc Moses: verisimile tamen est totum carmen, à Maria, cum mulieribus fuisse decantatum. Satis enim fuit initium cantici inchoati ponere, vt intelligeremus, id ad finem vsque fuisse perductum. Enim verò si cantores, licèt difficiles sint in ingressu cuiusuis musicæ, faciles tamen sunt in prosequutione & fortasse importuni; Vnde Horatius serm.lib.1.Satyr.3.

Cătores in ingressu musica difficiles: in progressu faciles.

Horat.sat.3.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati:
Iniussi nunquam desistant, &c.

Quid existimandum est de cantatricibus, ad laudandum Deum diuinitus impulsis: quas non gloriolæ vanæ aucupium, vt plerósque musicos, sed diuinæ laudis studium & amor excitabat?

Vers. XX. *Sumpsit ergo Maria prophetissa &c.*

Fuerit ne Maria verè prophetissa?

ANNOTATIO II.

I. PRophetæ nomen duobus modis potest alicui conuenire. Primùm,quia Deus illi præcipit vt annunciet quæ futura sunt: aut si præterita sunt,

eos quibus annuntiantur, omnino latent, quales sunt prophetiæ Isaiæ, Ieremiæ, & aliorum vatum, quorum in libris canonicis conseruantur oracula. Hic modus prophetiæ nullo pacto conuenit Mariæ sorori Aaron. Nescimus enim aliquid in monumentis extare, quod illa ex diuina reuelatione gentibus annuntiauerit. Deinde prophetæ dicuntur illi quibus etsi nihil à Deo hominibus patefaciendum, fuerit mandatum: Deum tamen prophetico lumine vident, & loquentem audiunt, veluti magistrum declarantem veritatis occultæ modum. Iuxta hanc significationem Abraham propheta dicitur Gen. 20. *Dixit enim Deus ad Regem Abimelech*, qui per vim in aula regia, Saram retinebat vxorem Abrahæ: *Nunc ergo redde ei vxorem suam: quia vir propheta est, & orabit pro te &c.*

Propheta nomen duobus modis potest alicui conuenire.

Genes. 20.

Abraham dicitur propheta quia Deũ vidit, & audiuit.

II. Cùm igitur Deus locutus fuerit cum Maria, vt patet ex cap. 12. Numerorum (nam, cùm ipsa & Aaron increparent Mosem, propter vxorem Æthiopissam, dixerunt: *Num per solum Mosem locutus est Dominus? Nónne, & nobis similiter est locutus?*) planè constat, eam verè fuisse prophetissam. Et quidem Caietanus prudenter & scitè annotauit hoc loco; eam non à diuitiis, aut nobilitate, sed à prophetiæ dono commendari. Quid si Deus illi, aliquid annuntiandum aliis reuelauit? sanè, id Hebræi pro certo habent. Vnde etiam iuxta priorem prophetæ significationem, prophetissam appellare non dubitant. Quare, qui in scholis, aut pro cócione verba populo faciens, Mariam, sororem Aaron, prophetissam, pleno ore nuncupauerit: is nihil noui, aut sanæ doctrinæ contrarium, dixisse putandus est.

Num. 12.

Maria fuit verè prophetissa.

Caietanus.

Vtroque modo prophetissa fuit Maria, nẽpe & quia Deum loquẽtem audiuit, & quia audita enuntiauit.

Vers. XX. *Sumpsit Maria, soror Aaron tympanum.*

Cur dicatur Maria soror Aaron potiùs quàm Mosis.

ANNOTATIO III.

I. Rectè aduertit Abulensis q. 6. in Exodi cap. 15. Mariam vocari sororem Aaron, & non Mosis; cùm vtriusque soror, ex eodem patre & matre prognata fuerit: quia Maria & Aaron magis inter se copulati erant fraterna charitate, quàm cum Mose: sicut Simeon & Leui peculiariter fratres vocantur, propter eorum ad quoduis scelus patrandum concordiam: Hoc enim in causa est vt specialiter fratres ad inuicem vocentur; licèt ex eadem matre Lia, & ex eodem patre Iacob fuerint progeniti. Vnde Gen. 49. scriptum est: *Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia:* Hi etiam duo, peculiariter nominantur fratres Dinæ, cùm alij quoque quatuor illius ex patre & matre fratres fuerint: quia præcipuo quodam amore eam complectebantur, & pro ea in discrimen vitam adduxerunt: vt constat ex cap. 34. libri Genes. quando videlicet offensi stupro Dinæ illato, Sichimitas districtis mucronibus insecuti sunt, & occiderunt. *Acceptis*, (inquit sacer scriptor) *duo filij Iacob, Simeon & Leui, fratres Dinæ gladiis, ingressi sunt vrbem confidenter: interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt; tollentes Dinam de domo Sichen, sororem suam &c.* Huc allusit Iudith, cap. 9. dum memotabile facinus aggressura, Deum ita supplex orauit: *Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum,*

Abulens. Exod. 15.

Simeon & Leui, cur peculiariter fratres vocentur.

Genes. 49.

Simeõ & Leui cur peculiariter dicãtur fratres Dinæ.

Genes. 34.

Iudith 9.

Iudith zelum Simeonis approbat, nō factum.

rum, qui violatores extiterunt, in coinquinatione sua & denudauerunt femur virginis &c. Vbi zelum approbat Simeonis, ex cuius tribu genita erat, in vlciscenda sororis violatione; non factum ipsum, quod contra fidem, à patre sene, principi Sichimitarum obligatam, patratum fuit. Sic ergo Maria soror Aaron peculiariter dicitur, quòd hunc sibi fauentem magis quàm Mosem, semper est experta.

Aaron triennio ante Mosem natus. Maria praedixit natiuitatē Mosis Amrā patri suo. Num.12. Aaron orauit Deū pro Maria sorore sua. Abulens.

II. Hebraei duas praeterea tradunt rationes. Prima est, quia priùs fuit soror Aaron, qui tribus annis ante Mosem natus est, quàm Mosis; & in illo triennio prophetauit patri suo Amram, de natiuitate Mosis Israëlitarum ducis futuri. 2. quia Aaron illius causam egit, cùm eam vidit lepra infestam, ob murmurationem, iuxta illud Num. 12. *Cúmque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, ait ad Dominum: Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod commisimus ne fiat haec, quasi mortuum, & vt abortiuum quod proiicitur de vulua matris suae: & ecce medium eius deuoratum est lepra:* Vide Abulensem suprà citatum.

Pluris nobis esse debet amicus quàm affinis. Ecclesiast. 31. Prouerb. 17. Serui fideles magni fiunt. Iob 19.

III. Hinc ad mores elici potest illa doctrina, qua intelligimus, pluris fieri in sacris literis amicitiam quae vtilitatibus alienis inseruit, quàm vllam affinitatem, aut sanguinis coniunctionem. Vnde, vel seruus, si te amat, vnicè est diligendus. *Si est tibi* (inquit Ecclesiast. cap. 31.) *seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem, sic eum tracta:* & Prouerb. 17. *Seruus sapiens dominabitur filijs stultis, & inter fratres haereditatem diuidet.* Hinc Abrahae seruus eius Eliezer, ita charus fuit, vt filium eum suum vocauerit: & haeredem facere, si liberis caruisset, cogitauerit. Et B. Iob cap. 19. seruos fideles, & sui amantes, vocauit filios vteri sui: *Orabam,* inquit, *filios vteri mei &c.* alios enim filios non habebat, cùm ita loquebatur, vt Stunica aduertit. Nicetas filios intelligit, quos Iob habuit ex concubinis. Philippus, D. Thom. Lyra, & Dionys. Carthus, nepotes: ij nanque filij interdum vocari solent. Mihi videtur Iob, filios vteri sui appellare eos, qui opem afferebant prostrato. Sic enim principes eum de statu deiecti sunt, vel seruos ipsos, si obsequium praestant, & benefici sunt, affectu paterno, vocare solent.

Stunica.

Vers. XX. *Sumpsit ergo Maria prophetissa &c.*

Fueritne Maria soror Aaron, virgo an nupta?

ANNOTATIO IV.

Deut. 17. Filiorum promissio ad felicitatē spectat. Psalm. 127. Psalm. 126. Filia Iephthe cur plorauerit ante mortem. Iudic. 11.

I. IN veteri lege, certum est omnes ferè tam viros quàm foeminas propagandae proli operam dedisse: eósque felices, & Deo charos existimatos, qui liberorum copia abundarent. Vnde Deut. 17. dictum est: *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus &c.* quod non est praeceptum, vt quidam putant; sed liberorum promissio, vt grauiores affirmant interpretes, & Psalm. 127. dicitur: *Vxor tua, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae, filij tui sicut nouellae oliuarum in circuitu mensae tuae;* & Psal. 126. *Haereditas Domini, filij: merces, fructus ventris.* Hinc in Israële foeminae ferè omnes coniugia appetebant: virginitatem verò non tanti faciebant. Hoc, illae lacrymae filiae Iephthe, Iudic. 11. quòd in statu virgini

virginitatis mori cogeretur, profusæ, non obscurè testantur. A patre enim, sacrificio, in quo illa victima esset, destinata, duorum mensium spatio suam deplorasse legitur virginitatem. Hinc, etiam laudatur Beata virgo, quia desponsata fuerit sancto Ioseph. Sine exemplo tamen antiquarum puellarum (quod virgineo pudori commendationem affert) simul virgo, voto & re, fuit.

B. Maria voto & re virgo fuit.

II. His argumentis & aliis permoti aliqui sacrarum literarum interpretes putarunt, Mariam, de qua agimus, nuptam fuisse; quibus astipulatur Iosephus lib. 3. antiquit. cap. 2. affirmans illi maritum datum esse Hur. Cum his facit Abulens. ad finem commentariorum cap. 35. Exod. Sic enim scribit, Hur, qui fuit iudex cum Aaron, & sustinuit manus Mosis, communiter dicitur esse maritus Mariæ sororis Mosis, &c.

Fuerit ne Hur, Mariæ coniux? Iosephus. Abulens. Exod. 35.

III. Mihi tamen probabilius est, eam virginem omnino fuisse: vt in hac Maria, tanquam in figura, iam inciperet placere Deo ea Maria, quæ virgo erat futura; & ad diuinorum filij Dei mysteriorum arcana consilia, ex æternitate, electa, diuinæ matris nomen habitura. Ratio qua moueor, est, quia nusquam in sacris literis legitur maritum eam habuisse, aut filium: cùm tamen sacræ literæ accuratissime generationes persequantur, non solùm principum, sed etiam personarum minoris notæ. Atqui, Mariæ, quæ vna erat ex principibus fœminis, & Ducis, Pontificisq; soror, cùm sæpe mentio fiat; cur coniugis & liberorum, si coniugem, aut liberos habuit, summum erit silentium?

Probabilius est Mariam fuisse virginem. Nusquam legitur, Mariã filios aut maritum habuisse.

IV. Non erat sic despecta virginitas in veteri lege, vt ab omnibus reprobaretur. Quis enim negare audebit, Eliam, Ieremiam, Elisæum & Essenos virginitatem coluisse? Quid ergo mirum, si Mariam sororem Mosis virginem fuisse dicamus! solisne viris grata tunc fuit virginitatis & cœlibatus gloria?

Aliqui coluerunt virginitatem in veteri lege.

V. Multos fuisse, qui Mariam de qua agimus, virginem extitisse existimauerint, testatur Greg. Nyss. in lib. de virginitate cap. 17. & D. Ambrosius lib. de virginibus. Atque hi duo Patres virginitatem illi attribuunt. Nec incredibile est alias etiam fœminas, in veteri lege fuisse virgines. Maria tamen soror Aaron prima fertur virginitatem coluisse, vt figura sit B. Mariæ, quæ in lege gratiæ voto virginitatis prima omnium se alligauerit. Vnde meritò dicitur, Dei genitrix Maria, in lege noua admirandæ virginitatis vexillum extulisse. Quam ob causam iure optimo Parens, Dux, Princeps, atque omnium virginum exemplar vocatur illustrissimum. Hinc Sedulius, qui floruit anno à Christo nato 430. sub Theodosio Imperatore, sic eam salutat:

Greg. Nyss. Ambrosius. Maria soror Aaron coluit virginitatem. B. Maria in lege gratia prima omniũ voto virginitatis se astrinxit. Virgo Beata exemplar virginum fuit. Sedulius.

Salue sancta parens, enixa puerpura Regem,
Qui cœlum terrámque tenet, per secula: cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro,
Imperium sine fine manet; quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem:
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

VI. Maria, vt D. Hieronymus aduertit, partem obtinebat regiminis populi Hebræi. Nam ad illud Zachariæ 11. *Et succidi tres pastores in mense vno.*

Hieronym. Zachar. 11.

Mich. 6. Chald. paraphr. Tres prophetæ Moses, Aaron & Maria.

Pastores,inquit,vocat Mosen,Aaron, & Mariam.& Mich. cap.6. dum dicitur: *Et misi ante faciem tuam Mosen & Aaron, & Mariam.* Chaldæus Paraphr. ait: Misi ante te tres Prophetas,vt doceret iudiciorum traditionem,Mosen : Aaron,vt expiaret populum;& Mariam,vt instrueret mulieres, & certè si Maria esset nupta,non obiret officia quæ libertatem postulant exeundi, quo vellet. Impediretur enim à marito. Numquid si nupta esset toties in Scriptura sacra nominaretur prætermisso coniuge?Num stipes erat, aut qui nominaretur indignus ? Quid quòd ipsum prophetissæ cognomen,quod hîc legitur, virginitatis aliquam coniecturam facit?Prophetissæ nanque,quales olim fuerunt Sibyllæ, virgines erant. Vnde D. Hieronymus contra Iouinianum : Quòd si, inquit,Æolici sermonis genere,Sibylla,θιοϐὸλη appellatur, rectè consiliũ Dei sola scribitur nosse virginitas,&c.

Sibyllæ virgines erant. Hieronym.

VII. Quæ cùm ita sint,multa profectò præcessisse in Maria, sorore Aaron,certum est,quæ in typo & figura B. Virginis Mariæ, nobis laudes aperire possunt. Sed illud tantum quod ad præsens institutum facit,annotabo : nempe,sicut veteris testamenti carmen,in actionem gratiarum decantatum ab Israëlitis,Maria,Mosis & Aaronis soror,ob demersum in mare Pharaonem,prima modulata est:ita,primum noui testamenti canticum Maria Dei mater, & virgo cecinit,incarnationis recolens beneficium. Pro tympano antiquæ Mariæ, vsa est noua Maria, decem chordarum Psalterio (tot enim versus illius continet canticum,) vt dicere possit præcentrix diuina illud Psalmi 32. *In Psalterio decem chordarum psallite illi.* Hæc de Mariæ virginitate, & præsignificatione.

B. Maria pro tympano vsa est decem chordarum psalterio. Psal.32.

Vers. XXI. *Egressæq; sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis, & choris quibus præcinebat, dicens &c.*

Quid sit tympanum quo vsa est Maria, cæteræque Israëlitides?

ANNOTATIO V.

Strabus. Gloss. ord. Lipomanus. Hieronymus. Tympanum quid sit. Chorus quasi coæuorum cantus.

I. STrabus,quem citat Gloss.ordinaria & Lipomanus, hoc loco de tympano,sic scribit : Tympanum, secundùm Hieron. genus est tubæ,in summis habens stipulam, vel fistulam, per quam vocem reddit sonoram : chorus verò est pelles simplex cum duabus cicutis; per alteram quarum inspiratur, per alteram sonus redditur. Secundùm alios,tympanum est pellis extensa inter duo ligna : chorus autem multitudo simul canentium : & dicitur chorus, quasi coæuorum cantus. Hæc ferè Strabus. Vides multiplicem significationem duplicem videlicet choro,& duplicem tympano assignatam?Prima quidem tympani significatio, non videtur in hunc locum quadrare:quanuis eius meminerit D. Hieronymus in epist. ad Dardanum tom.4. vbi agit de diuersis generibus musicorum. Antiquis,inquit, temporibus, chorus quoque simplex pellis cum duabus cicutis æreis, & per primam inspiratur, per secundam vocem emittit. Non quadrat,inquam, prima significatio. Vix enim fœminæ,

Hieronym.

aut potiùs nunquam in suis choreis vtuntur tubis. Secunda vsitata est, qua accipitur pro fistula vtriculari, vulgò, *Gaita de fole*, quæ antiquis valde erat grata, præsertim pastoribus. Vnde Poëtarum princeps, Eclog. 5. *Fistula vtricularis. Eclog. 5.*

Cur non Mopse(boni quoniam conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus)

Sed nec ista significatio idonea est huic loco, cùm non deceat, vt Arist. ait in politicis, ingenuam personam, premere labiis instrumentum musicum, quodcunque illud tandem est: & multominus fœminam nobilissimam, qualis erat Maria. Minerua quippe, vt ad finem vltimi lib. refert Arist. sono fistulæ delectata, labiis eam admouit; moxque eam indignam iudicauit flatu suo, & ingenuis labiis. *Arist. Premere labijs tibias non est ingenui viri aut fœmina. Minerua fistulam reycit. Arist.*

II. Quare placet mihi quod annotauit Abulensis, q. 6. super cap. 15. Exodi: Tympanum, inquit, manibus percussum, tinnitus reddit. Est enim instrumentum quadratum, de lignis factum, & interdum rotundum; corio extenso contectum paruisque intus latentibus tintinnabulis paratum, vt ex tinnitu pellis extensæ, & tintinnabulorum, ad concordiam vocis cauentium puellarum, conueniens sonus reddatur. Hæc ferè Abulens. Hoc instrumentum Lusitanè, dicitur, *Aduse*, fœminis satis notum; differtque ab eo, quod baculo pulsatur, de vtroque Virg. 9. Æneid. *Abulens. Exod. 15. Vera tympani significatio. Abulens.*

Tympana vos buxusq́ vocat Berecynthia matris
Idææ. Sinite arma viris, & cedite ferro. *Virg. Æn. 9.*

Et Ouid. 4. Metam.

Quacunque ingrederis, clamor iuuenilis, & vnà
Fœmineæ voces, impulsaq́ tympana palmis,
Concauaq́ue æra sonant, longóque foramine buxus. *Ouid. Metam. 4.*

Hæc de Tympano: quid sit chorus, præter ea quæ annotauimus, ex Strabo & D. Hieronymo, explicat Oleaster, enarrans particulam, *cum tympanis & choris*, ad hunc modum. Significat, inquit, *mecholah*, chorum, seu multitudinem ordinatam ad modum exercitus, quem nostri, *chacota*, vocant. Hæc ille. Crediderim exprimi hoc loco, eius choreæ & tripudij, quod, folia. Lusitani vocant, quandam imitationem. Cui expositioni fauet explicatio vocabuli, chorus. Dicitur enim, vt Abulensis ait, cui suffragatur Oleaster, chorus; multitudo siue congregatio saltantium atque concinentium. Idem scitè aduertit, huiusmodi tympana, à Maria, & fœminis aliis, ad leuandas itineris molestias, ex Ægypto fuisse allata. Lyranus verò arbitrabatur, quod verisimile est, Deo inspirante, asportata esse: quia, vel ex oraculo, vt ita fieret, accepit Maria: vel, cæteræ etiam fœminæ, per reuelationem cognouerunt, fore vtile id instrumenti, in solitudine, ad diuinas laudes numini decantandas. Similis celebritas, instituta fuit à Iudith, pro cæde Holophernes, & coniecto in fugam Assyriorum exercitu, accurrentibus ad choreas viris pariter ac fœminis. Dicitur enim in Græco contextu, concurrisse omnes mulieres Israël ad videndam Iudith; cúmq; thyrsis in manibus, illa præcedente, (quam olea vnà cum ancilla coronabat) choros duxisse, viris armatis sequentibus, qui coronis & hymnis lætitiam triumphi, Dei ope reportati, declarabant. Non abludit noster Latinus contextus, *Strab. Hieron. Oleaster. Abulensis. Oleaster. Lyranus. Deo inspirante, Hebræorum fœminæ, ad leuandas itineris molestias, musica instrumenta attulerunt ex Ægypto. Iudith 15. Chorea instituta sunt iugulato Holopherne.*

S ii dum

Iudith 15. dum ita legit, ad finem capitis 15. *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus & iuuenibus, in organis, & citharis.* Imò hæc verba innuunt, distinctos pro ætate & sexu fuisse choros, pro victoria institutos. In quibus ille erat præcipuus, in quo ductrix mulierum erat Iudith, & præcentrix.

Non est indignum nobilibus fœminis choros ducere in celebritate aliqua. *Cant.7.* *Interpretatio literalis loci cuiusdam cãticorum, è re militari sumpta translatione.*

IV. Porrò, singularis esse & magnificæ laudis materiam illustribus fœminis, si choros non effœminatos, sed graues interdum ducant, indicant illa diuini sponsi verba Cant.7. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Audierat quippe in præcedenti capite sponsus, puellas dilectam sponsam multis modis laudantes: Iam ne quid perfectæ desit laudi; à sodalibus quoque suis, laudes præterea alias, & quid de fortitudine illius sentiant, requirit. Verùm quia iuuenum est castra sequi, & militaribus studiis potissimùm delectari, percunctatur, an aliud quidpiam in dilecta sponsa sua videant, quàm quæ militarem concernunt laudem. Hanc percunctationem idcircò facit, vt non minora præconia de fortitudine, per iuuenum censuram colligat, quàm de pulchritudine eius, ex puellis recto vtentibus iudicio, audierat. Assentiuntur interrogationi sodales; estque assensio ipsa, responsio quædam. Qua audita, pensat laudandi vicissitudinem. Nam vt illa, in describenda sponsi sui forma, per omnia decurrerat membra: ita quoque vicissim sponsus facit: *Quàm pulchri,* inquit, *sunt gressus tui, &c.* Sensus ergo illorum verborum; *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Huiusmodi est. Nihil est effœminatum in Sulamite. Exercet illa choreas: sed pyrrhicas. Habet choros; sed castrorum. Numeros incinit saltantibus, non Ionicos; sed militares. Nihil inest inconcinnum in illius motu; ita enim procedit, vt bellatura: sic ordines componit, vt enitì videatur, ne aciei agmina, in æquali conturbentur incessu. Læta terribiliáque simul in te, ô sponsa, apparent. In choreis iucunditas; in castrorum nomine, terroris inest aliquid. Tam læta ad pugnam contra diabolum, & vitiorum cuneos, procedis, quasi non pugnatorum copias, sed choros produceres saltantium. Acies plerunque ductas, Tartaro & peccato formidabiles. Quid enim aliud sunt tot martyrum purpurei exercitus? Interdum virginum & confessorum ducis choros, hominibus iuxtà & Angelis venerabiles. Aderant Ecclesiæ olim Israëliticæ chori castrorum, quibus illa non solùm pulchra sed fortis etiam visa est.

Nihil est effœminatum in anima virtutum cultrice.

Ecclesia fortitudo, in ducendo contra diabolum castris.

4.Reg 6. Ad arcam fœderis Domini ternæ tribus à singulis latetibus, in suis castris occubabant. In domunculæ Elisæi circunductu, ne quid mali patiatur; mons apparet plenus equis & ignitis curribus, quin & cateruis militum: quorum singuli, iis pollent viribus, vt, vnus, Sennacheribi exercitum, vna deleuerit nocte; alter, in Ægypto, intra vnius noctis spatium, omnia occiderit primogenita. Sanè ex duobus his militibus, æstimari facilè potest quales sint cæteri, qui, sponsa ductrice, in castris, & choris, quibus læta ad sponsum diuinum properat, faciunt stipendia. Agnouit Iacob. Gen.32. diuina afflatus aura, cœleste Ecclesiæ sanctæ præsidium, cùm Angelis occurrens exclamauit: *Castra Dei sunt hæc.* Quid quæso te, sunt tot cœnobia? tot virorum, & mulierum, religiosè Deum colentium, agmina, nisi Dei, cui Ecclesia in hymnis & canticis cultum defert, castra quædam?

Isai.37. *Exod.14.* *Gen. 32.* *Cœnobia sunt Dei castra.*

Comites Ecclesiæ sunt qui fide & bonis moribus decorantur.

V. Iuxta Hebraicam & Græcam editionem, in plurali numero, ita legendum est, vt sponsus ad sodales suos conuersus, dicat: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorũ?* atque adeò sensus erit. Quid videbitis, ô sodales, in Ecclesiæ

meæ

meæ comitatu, nisi multitudinem hominum, qui spreto seculo, peccatique misera seruitute ablegata, incredibili lætitiæ iubilo, interiùs exteriúsque perfusi, choras ducunt & quasi per turmas, castrorum in morem dispositi, cum regio citharædo canunt ouantes? *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus, sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Inter Ecclesiæ Christi sponsæ choros, & indices gaudij voces, castra sint oportet, quibus ab hostium illi insidiantium protegatur incursibus; quæque leoni Stygio, noctes diesque in nostram perniciem rugienti, vt probè D. Petrus in sua canonica fideles omnes admonet, animo inuicto opponantur. *Psal.123.* *Ecclesia læta est simul cum Christo victore, & formidabilis.* *1.Petr.5.*

VI. Num prætermittam locum Psalmi 67. qui sic habet: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*? haud faciam. Vox enim, *Euangelizantibus*, licèt à 70. Interp. & ferè à Græcis patribus accommodetur viris: idque placeat Chald. Paraphrastæ, qui sic vertit: *Dominus dabit verba legis suæ populo suo*, per Mosem & Aaronem, qui annuntiarunt verbum Dei exercitui magno Israëlis. Hebraicè tamen, propter vocem, *Haynoth*, quæ fœmininam habet terminationem, fœmini né aptatur. Vnde D. Hieronym. ex Hebræo vertit: *Dominus dabit verbum annuntiatricibus.* Flaminius legit: *Dominus dedit sermonem laudatricibus*: hoc est, vt ille explicat, mulieribus, quæ ducum victorias solent choris & cantibus celebrare. Quid quòd Pagn. Vatabl. Isidorus Clarius in scholio, & vniuersi Hebræorum doctores fœminino legunt genere? Hebraicè est המבשרות, *bammisberoth* fœminina terminatione. *Psal.67.* *70.Interp.* *Haynoth.* *Hieronym.* *Pagn.* *Vatabl.* *Isid.Clar.*

At, dices: hìc de bellis & victoriis sermonem facit Dauid: virorum igitur, non mulierum debuit meminisse, prout Chaldæa Paraph. & 70. Interp. Hebraici idiomatis scientissimi, sunt interpretati. Cæterùm nos, quod tu somnias, versiones alias non damnamus, cùm nostra vulgata editio, vocabulo, *Euangelizantibus*, quod vtroque versum trahi potest, vsa sit: duntaxat quod probabilius est, & nostro instituto magis consentaneum, asserimus. At, sunt fœminæ bellis tractandis minùs aptæ? sunt: non tamen canendis atque euulgandis. Et quidem, apud Hebræos, quanuis fœminæ, vt ad regnum, & sacerdotium, sic ad bellum minùs idoneæ reputarentur: principes tamen victorias à viris reportatas, vt à mulieribus decantarentur, studiosè curabant. Quod tum ex hoc Mosis cantico à fœminis repetito, satis confirmatur; tum ex lib. 1. Regum cap. 18. vbi detruncato à Dauide gigante, Israëlitides in choris canebant; *Percussit Saul mille: Dauid autem decem millia.* Apertiúsque adhuc ex illis verbis Psal. 67. dudum citati: *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Sed fœminarum qualis cantus? In Ecclesiis, *benedicite Deo Domino de fontibus Israël*: Hoc est, vos qui estis de fontibus, siue de sanguine & genere Israël, in Ecclesiis, benedicite Domino Christo. Dominus nanque dabit verba cantatricibus, vt virorum celebrent cum cantu & tripudio victorias. *Chald. Paraph.* *70.Interp.* *Fœminæ cantandis victoriis & euulgandis aptæ sunt.* *Hebræi principes à fœminis cãtari victorias curabant.* *1.Reg.18.*

VII. Sed, quæ sunt istæ cantatrices? Id constabit explicata particula, *virtute multa*: Nam omnes ferè ex Hebræa voce, *Tsaba*, vel *zaba*, vertunt, non fortitudinem, aut robur, sed exercitum, vt sit sensus: Dominus dabit sermonem cantatricibus exercitus multi, siue exercitus magni. A voce autem, *tsaba*, fit genitiuus pluralis, *tsabaoth*, vel *sabaoth*, qui exercitus fœminini, significat

R

Mulieres vacabant oratione & ieiuniis ad ostium tabernaculi.

Cantatrices apud Hebraeos, nostris respondebãt monialibus.

Exod.38.

Chald. Paraph.

70. Interp.

2. Mach.3.

Filiã Iephthe, inclusã fuisse à patre in cœnobium, non verò occisam, aliqui putarunt.

Lyran.

Vatab.

B. virgo inclusa in cœtu mulierum, in die praesentationis.

Luc.1.

1.Reg.2.

Ioseph.

Magist hist. Scholast.

1.Reg.4.

Caietanus.

1.Reg.2.

Origen.

Cyrill.

Cedrenus.

Greg.Nyss.

Theophyl.

Matth.27.

Canisius.

ficat: vt verisimile mihi videatur, per fœmineos istos exercitus, mulieres quasdam significari, quæ militum instar, in templo Salomonis, tanquam in castris vigilabant: & ante Salomonis tempora, ad ostium tabernaculi, ieiuniis, orationibus, & diuinis laudibus, à seculi negotiis expeditæ, vacabant; quemadmodum hodie moniales, hoc est virgines Deo consecratæ, in parthenonibus. Hinc facilè erit interpretari illud Exod.38. *Fecit Moses labrum aeneum cum basi sua, de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi &c.* Excubare propriè, castrense est verbum: ac proinde, quænam hæ fuerint excubiæ declarauit Chald. Paraphr. qui transtulit: *Quae orabant.* 70. Interp. *quae ieiunabant:* idem confirmatur ex 2.Mach.3. *Sed & virgines*, inquit, *quae conclusae erant, procurrebant ad Oniam &c.* Et verò in hoc cœnobium inclusam fuisse à Iephte filiam suam, quam se Deo immolaturum vouerat, arbitrantur Lyranus & Vatablus; licèt constans patrum sententia sit, quod nos etiam ex sacro contextu elici putamus, eam verè fuisse parentis, voti religione malè astricti, gladio iugulatam. In hunc virginum & viduarum cœtum inducta est B. virgo postquam in templo fuit præsentata; Hîc Anna illa vixit, ieiuniis vacans & orationibus, de qua Lucas cap.1. Quid, quòd intra scelera filiorum Heli, illud tanquam multò grauius numeratur, quòd huic sacrarum mulierum cœtui, fuerint iniurij: *Dormiebant*, inquit sacra historia 1.Reg.2. *cum mulieribus, quae obseruabant ad ostium tabernaculi &c.* Quod Iosephus lib.5. antiquitatum disertè narrat; quanuis Magister hist. Schol. aliter sacrum textũ interpretetur. Quidam, inquit, volunt, quòd non admiscebantur mulieribus, sed corrupti pecunia dabant mulieribus licentiam commiscendi se viris suis, intra dies purificationum &c. Sed repugnat huic interpretationi veritas Hebræa, quam secutus Caietanus 1. Reg. 2. in particula: *Obseruabant ad hostium*, ait obseruandi verbum in Hebræo deductum esse ab exercitu, vt significentur mulieres, per modum exercitus, ad ostium tabernaculi conuenientes: *Dominus ergo*, inquit Regius vates, *dabit verbum euangelizantibus virtute multa*: id est, mulieribus, quæ in illo diuino exercitu, ad religiosum cultum conseruandum excubant, vt scilicet populi Dei canant victorias. Agunt de hoc religioso mulierum instituto Origen. tract.26. in Matth. Cyrill. lib. aduersus Antropomor. cap.27. Gregorius Cedrenus in compendio historiæ, Gregor. Nyss. Theophyl. in cap.27. Matthæi, Canisius lib.1. cap.12. in Mariali, & alij.

VIII. Cùm ergo Psalm. 67. iuxta omnium interpretum expositiones, victorias contineat; quas Dei populus, de suis hostibus reportat; siue illi hostes corporei sint, siue spiritales. Huiusmodi autem triumphi siue orationes à fœminarum choris, quæ ad ostium tabernaculi excubabant, decantandæ, dicantur, & tympanis fistulisque aptandæ: pulchrè à Maria & cæteris Hebræi populi mulieribus, diuinas in hoc Mosaico carmine audimus laudes, & ad numerum rhythmicum respondentes victorias. Quid ergo mirum si Maria princeps nobilissima; imò & prophetissa, in celeberrimo omnium, quæ vnquam fuerunt triumpho, choros ducat fœminarum; tympanis aliisque cœlo & hominibus grata harmonia insonantibus instrumentis? Non est illa Lyrâ & fidibus vsa; cuius Lyricus lib.1. carminum, Mercurium facit inuentorem:

Horatius.

Mercurius, Lyrae inuentor.

Te canam, magni Iouis & Deorum
Nuntium, curuaeq; Lyrae parentem.

Non

Non fistulâ, quam sibi primus Pan confecit, vt in Corydone, Maro ait: *Pan, fistula.*

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit.

Non septem chordarum pulsu, quem excogitauit Terpander: de quo illud, *Terpander, septē chordæ.*

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Non citharâ, qua vsus est Iubal, vt Polydorus Virgilius lib.1. de inuent. rerum cap.15. testatur, quam tamen D. Hieronymus in Epistol. ad Dardanum, de instrumentis musicis, aliam esse ait ab ea qua primus, sine voce dicitur vsus Thamyras: cum cantu, Amphion. Non tubâ, qua à Mose omnium primo inuenta, vt affirmat Iosephus lib.3. antiquitatum, Leuitæ in pugna Martem accendebant. Hæc nanque & similia instrumenta, viros magis decent quàm fœminas. Tympanis vsa est Maria prophetissa, vt ait sacer historicus, quorum pulsu, fœminæ, suas decenter instituebant choreas; atque in diuinas laudes effusæ, gratias agebant Deo, rerum, quas cum admiratione viderant, molitori. Has, nos imitantes, antiquæ, & nouæ legis facta, quibus Deus suam erga humanum genus benignitatem declarauit, sæpius recolamus. *Cantemus ergo Domino: gloriosè enim magnificatus est.* *Virg. Æneid. 6. Iubal citharæ inuentor. Genes 4. Polydorus Virg. Hieronym. Tuba à Mose primò inuēta. Iosephus. Exod. 15.*

Verf. XXI. *Quibus præcinebat &c.*

Quid nam potissimùm Hebræos impulerit ad Dei laudes communi voto decantandas?

ANNOTATIO VI.

1. MVltiplex argumentum diuinæ potentiæ, & virtutis magnificè extollendæ, Hebræis ab Ægypto egressis, & in tuto positis, oblatum est. Tria tamen sunt quæ viros iuxtà & fœminas, in voces lætitiæ & grati erga Deum animi indices impulerunt. Primùm, quia à durissima seruitute, qua magistratuum Ægyptiorum imperio, ad flagella vsque premebantur, se ereptos videbant. Scriptum nanque est Exod.1. *Præposuit eis*, nempe Rex, *magistros operum, vt affligerent eos oneribus: &c.* Atque, vt onera, quibus Israëlitæ ob Ægyptiis affligebantur, perspicias; audi Iosephum 2. Antiq. cap.5. Inhumanè, inquit, tractabant Hebræos, & variis laboribus conterebant. Nam, & flumen in multas fossas diducere, sunt iussi; & mœnia exædificare, & aggeres construere, quibus inundationes fluminis arcentur Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram. Atque in hunc modum, per quadringentos annos laboratum est; Ægyptiis id agentibus, vt Hebræos nimio labore perderent. Hæc Iosephus. Similia scribit Philo lib. 1. de vita Mosis: Ait quippe, grauiora imperata Hebræis quàm ferre possent, quòd si quis ob ægritudinem labori se subtraheret id capitalem reputari noxam: operibus, inquit, præerant immitissimus quisque, quos exactores operum appellabant. Operabantur autem, partim lutum formando in lateres; partim comportando paleas. Nam paleis cohærent lateres. Alij iussi sunt publica & priuata ædificia extruere, fossásque fodere, noctes diésque conuehendo materiam sine intermissione: nec tantisper permissi quiescere dum somno se reficerent; itaque *Triplex lætitia argumentum. Exod.1. Iosephus. Iudæorum in Ægypto vexatio. Iudæi ædificabant in Ægypto Pyramides. Philo. Crudelitas barbara contra Iudæos in Ægypto.*

Sepeliri Iudaeos, Magistratus Ægyptij non sinebant. alij post alios emoriebantur pestilentia, quos insepultos proiiciebant extra terminos, nec humo sinentes corpora regi, nec lacrymis cognatos aut amicos tam miserè mortuos prosequi. Adeò etiam affectibus animi, quos pene solos natura facit liberos, iugum imponebant homines impij. Quid, quòd *Iudaei diuersa ab Ægyptijs indui veste cogebantur.* Hebræi diuersa, quàm Ægyptii veste indui sunt coacti? Id ex Eupolemo antiquo scriptore tradit Eusebius, lib. 9. de præparatione Euangelica. Quod *Eupolemus. Euseb.* eo factum videtur consilio, vt Hebræi ex ipso cultu externo cogniti, tanquam impij, & contumelia digni, ab omnibus impune vexarentur. Accessit tyrannica illa lex, qua præcepit Pharao obstetricibus Hebræorum, dicens; *Hebraeorum masculi foetus suffocari iubentur.* Quando partus tempus aduenerit; si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina, reseruate. Populo verò suo, simili immanitate incitatus, dixit: Quidquid masculini sexus natū fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminini, reseruate &c.

Israëlitae canentes praefigurabant sanctos viros, in caelo Deum laudantes. Aug. in Psal. 85. II. Ab his tyrannicæ seruitutis incommodis, Israëlitæ liberati, Deum, cuius virtute & numine liberati sunt, eleganti hymno collaudant: lætitiam nobis præfigurantes, qua sancti viri, ex huius vitæ molestiis & cruciatibus, tanquam è procellosi maris fluctibus euadentes, in cœlesti patria, veluti in enauigati maris optato littore, perfruentur. Cùm transierit (inquit August.) gemitus noster, omnes vna voce, in vno populo, in vna patria consolabimur millia millium coniuncta psallentibus Angelis, & choris cœlestium potestatum, in vna ciuitate viuentium. Quis ibi gemit? quis ibi suspirat? quis ibi laborat? quis ibi eget? quis ibi morietur? *Beati*, inquit Rex propheta, *qui habitant* *Psalm. 83.* *in domo tua Domine.* Vnde? *in sæcula sæculorum laudabunt te.* Hæc erit actio no- *D. Gregor. In hom. Ioan. 20.* stra, laus Dei. Amas, & laudas &c. D. Greg. in homil. super illud Ioan. 20. *Per me, si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet &c.* *Diuersum in in caelo laetitia.* Ingredientur, inquit, ad fidem; egredientur autem à fide ad speciem, vbi quisquis Deum corde simplici sequitur, æterno viriditatis pabulo nutritur. In pascuis æternitatis lætantur, qui iam laqueos voluptuosæ tempestatis euaserunt, ibi hymnidici Angelorum chori, ibi dulcis solennitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium: Ibi martyrum victor exercitus, tantò illic lætior quantò hîc duriùs afflictus &c. Non est prætermittendus D. Hierony- *D. Hieronym.* mus, qui in Epist. ad Eustochium ita scribit: Egredere paulisper de carcere, & præsentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem. Qualis erit ille dies, cùm *B. virgo. Maria instis aderit caelum ingredientibus.* tibi virgo Maria choris occurret comitata virgineis; cùm post rubrum mare, submerso Pharaonis exercitu tympanum tenens, præcinet responsuris, *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est; equum, & ascensorem proiecit in mare &c.*

Exod. 7. 10. Ægypto plagae. Psalm 77. Aerugo, pruina & ignis inueluuntur in plagis decem à Mose enumeratis. III. Deinde argumentum fuit diuinæ laudis celebrandæ, recordatio plagarum, quibus Ægyptii, propter iniurias populo Dei illatas mulctati sunt. Harum plagarum incipit Moses mentionem facere cap. 7. Exod. suntque omnino decem. Prima fuit, aquarum in sanguinem conuersio: secunda ranarum productio: tertia, sciniphum: quarta, muscarum; quinta pestis, atque iumentorum interitus: sexta, turgentes vesicæ, & papulæ: septima tonitruis & fulguribus mista grando: octaua, locustarum multitudo: nona, horror tenebrarum triduanus: decima, primogenitorum occisio. Cum iis decem plagis censeri solent illæ quæ Psalm. 77. exprimuntur, his verbis: *Dedit ærugini*

fructus

fructus eorum:occidit moros eorum in pruina. Et dedit possessiones eorum igni, Licèt enim Moses in lib. Exodi, nec æruginis, nec pruinæ, nec ignis meminerit; tamen iuxta communiorem interpretum sententiam, hæ plagæ ab illis diuersæ non sunt. Pro ærugine nanque, in Hebræo est, *Hasil*, quæ vox, *speciem locustæ* significat, quam *bruchum* ex Hebræo vertunt D. Hieron. & Aquila, ipsáque Latina editio in Psal. 104. *Dixit*, inquit, *& venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus.* Quare plaga æruginis pertinet ad plagam octauam, quæ locustarum est: plaga pruinæ, ad septimam: vox enim Hanamal (vt aduertit Genebrardus) *species est lapidosa grandinis.* Ignis quoque, cum eadem septima plaga numeratur. Hæc enim plaga præter gelatos grandinis lapides, pruina quoque, & vi ignis & fulminum insolita, omnia quæ in agris erant vastauit, & penitus consumpsit. Scribit enim Moses, simul cum grandine cecidisse ignẽ. Harum plagarum numerum auxit illa quæ omnium maxima censeri debet, nempe Pharaonis, & exercitus eius, in mari rubro submersio. Et verò, illæ decem, vt ex Aegypto egrederentur Israëlitæ, illatæ sunt; hæc vndecima, egressis iam Hebræis in Aegyptios grauiori impetu incubuit. Hæc supplicia à Deo barbaris inuecta, quòd populo suo iniurij essent, animo meditantes Israëlitæ, in gratiarum actiones soluunt ora lætabundi. Tanti beneficij autorem Deum eo agnouere documento, quòd armatam viderint omnem creaturam contra insensatos; animaduersionémque illam experti sunt vsquequaque exactam esse & perfectam, vt enim barbarorum cumulata fuit in affligendo Dei populo, improbitas; sic perfectum fuit improbitati irrogatum supplicium, æquum enim est vt *secundum mensuram delicti, sit plagarum modus.* Ab elementis Aegyptij, terra nimirum, aqua, & cæteris, acerbo odio impulsi, pœnas in Hebræos requirebant: pœnis ipsi similibus cruciati ingemuerunt. Nam quod elemẽtum sæuire destitit in Aegyptios? Animalia ipsa pœnas exposcere, tenebris omnia inhorrescere: monstrifica spectra subinde illis se ostentare, vt dicitur Sap. 17. Ab hominibus, & Angelis detrimenta pati. In omnibus corporis sensibus torqueri: donec offensi numinis vltio, Aegyptiorum Hebræos hostiliter insequẽtium, miserando interitu completa fuit & perfecta. Solet enim Deus tarditatem supplicij, grauitate compensare.

Ærugo Hebraicè hasil quæ vox speciem locustæ sonat, siue bruchum. *D. Hieronym.* *Aquila.* *Psalm. 104.* *Hanamal Hebr. species est grandinis.* *Genebr.* *Omnium plagarum maxima fuit submersio exercitus Pharaonis.* *Agnouere Israëlitæ Deum sibi fauentem, videntes cladẽ Ægyptiorum.* *Sap. 5.* *Deut. 25.* *Pœnis Ægyptij cruciãtur, iis similibus quas Hebræis intulerant.* *Psalm. 17.* *Val. Max. lib. 2.*

IV. Tertia lætitiæ, & hymni Eucharistici causa fuit, decem signa in ipso maris rubri transitu patrata, oculis vsurpasse; quæ in Cabala annotarunt Hebræi Doctores. *Primum*; scissæ sunt aquæ attactu virgę Mosis, dicitur Exod. 14. *Diuisáque est aqua.* *Secundum*; postquàm scissæ sunt aquæ, similes factæ fuerunt fornici, formam præ se ferentes tecti contignati, non tamen in decliue tendentis, sub quo videlicet tanquam per foramen transibant Hebræi, stantibus aquis à dextra & sinistra, & supernè, secundùm illud, quod cecinit Habacuc: *Perforasti eum vectibus eius, caput exercituum eius:* Vbi tamen vulgata editio id non sonat; imò nec Græca translatio aut Chaldaica eum sensum reddit, quem Cabalistici volunt.

Deum signa in transitu maris rubri patrata annotarunt Cabalistici doctores. *Exod. 14.* *Habacuc 3.* *Cabalistici.*

Tertium; Terra obdurata & coagulata fuit eis, sicut dicitur Exod. 14. *Filij autem Israël ambulauerunt in sicco.* Vel vt habet vulgata translatio: *Filij autem Israël, perrexerunt per medium sicci maris.* Non enim remansit in pauimento eius vllum lutum, aut cœnum, sicut accidit cùm fluuiorum aluei exsiccantur.

Exod. 14.

Habacuc 3.

Quartum; viæ Ægyptiorum fuerunt lutosæ,& tenaces,sicut dicitur in Habacuc : *Per lutum aquarum multarum,siue in luto aquarum.*

Psal. 136.

Quintum ; dissectæ in multas vias fuerunt aquæ , iuxta numerum tribuum duodecim;idque in modum arcus rotundi;Quod liquet ex illo : *Qui dissecuit mare rubrum in diuisiones,siue,vt habet vulgata editio,Qui diuisit mare rubrũ, &c.* Sequitur Abul.Hebræos,& alij ex Latinis.

Abulens. Psal. 74. Cur dicantur Ægyptij dynastæ,draconum capita?

Sextum; coagulatæ sunt aquæ, & obduratæ veluti lapides , ad quod alludit Scriptura cùm dicit:*Tu confregisti capita draconum in aquis.* Quibus verbis indicatur,aquarum gelatarum soluta concameratione Ægyptiorum dynastas , supernè decidentibus fragmentis , fuisse oppressos. Quippe qui eò vocantur draconum capita , quòd odio capitali, & serpentina calliditate abusi fuerint in Hebræos.

Septimum; non coagulatæ fuerunt, sicut coagulantur reliquæ aquæ coeuntes in vnam massam,sed dissectæ fuerunt in multas partes , seu frusta , in modum lapidum,subalternatim ordine quodam compositorum. Quod indicat Dauid,cùm inquit,*Tu dissipasti in fortitudine tua mare,&c.*

Aqua maris rubri,instar vitri factæ. Psal. 17. vers. 12.

Octauum; coagulatæ fuerunt in modum vitri, & onychini,hoc est, ita diaphanæ & perspicuæ fuerunt aquæ , vt alter alterum transeuntem videre potuerit.Et hoc est quod dicit Dauid: *Atque obscuritas aquarum in nubibus ætheris:* hoc est,congregatio aquarum erat quasi ipsum cœlum , cùm est clarum & lucidum.Vulgata editio habet,*Tenebrosa aqua in nubibus aëris.*

Nonum; ex iis aquis in modum vitri coagulatis,dulces manarunt fontes , è quibus sitibundi cum voluptate bibebant.

Aqua maris dulces reddebãtur Hebræis sitibundis.

Decimum;coagulabantur aquæ antequam ad terram descenderent,eo tempore quo emanabant : Postquam scilicet ij qui biberent,inde , quod sedandæ siti sufficeret,hausissent. Atque hoc est , quod dicitur : *Steterunt quasi cumulus fluidæ aquæ :* hoc est , vt Hebræi Magistri interpretantur , id quod emanabat, conglaciabatur in corde maris. Vulgata translatio habet ; *Stetit vnda fluens; congregatæ sunt abyssi in medio mari.*

Exod. 15. vers. 8.

Iuxta mare plagis grauioribus cruciati sunt Ægyptij, quàm in oppidis suis. Psal. 57.

V. Addunt Hebræi Doctores , pluribus plagis iuxta mare conflictatos fuisse Ægyptios,quàm antea fuerant in propriis domiciliis. Tantorum igitur signorum spectaculo à numine sibi proposito,lætus Dei populus,illud expertus est,quod in Psalmo canitur : *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam.* Præfigurabant Hebræi isti,iustorum,qui ab impiis in hac vita cruciantur, Deo gratam & acceptam multitudinem. Iusti autem lætantur , cùm vel in hac vita puniri malos vident.Ita hunc Psalmi locum interpretatur D. Aug. Colligitur hæc expositio ex illis verbis : *Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Quid est hoc*, inquit,*Nunquid quando feriuntur homicidæ,debent illuc innocentes ire,& lauare manus suas? Iustus quando videt pœnam peccatoris , proficit ipse , & mors alterius, valet ad vitam alterius.Si enim spiritaliter sanguis currit , de his qui intrinsecus moriuntur,tu videns talem vindictam,laua illic manus tuas:de cætero,mundius viue : attende impium morientem,& purga te à peccatis.* Hæc Augustinus. Lætabitur ergo iustus,cùm viderit Dei vindictam in peccatores exercitam; tum quia in Dei operibus lætari æquum est,*tum quia lauabit manus suas sine*,vt alij legunt, *pedes suos,in sanguine peccatoris.* Lauabit,inquam,non quòd sanguis , manus pedésve lauet;eas enim potiùs fœdat,sed quia,vt experimur , contraria iuxta se posita, magis

D. August.

Vtilitas percipitur ex vindicta peccatoris.

Autor incognitus Psal. 57.

magis elucescunt; atque idcirco manus, id est opera iustorum, comparata sanguini, hoc est peccatis impiorum, pulchriora existunt. Iustus quippe comparatus impio, pulchrior apparet: Quare, vnde ille fœdatur, iste purgatur; vnde ille sordescit, iste nitescit. Hinc Greg. Magnus 6. Moral. cap. 20. super illud Iob 5. *In vastitate & fame ridebis. In vastitate*, inquit, *& fame iustus ridebit, quia cùm iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria digna retributionis hilarescit. Erectas nanque in claritate superna rectitudinis electorum mentes, nulla miseria afficit. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Videbũt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum; Iniquos enim nunc iusti vident, & metuunt: tunc intellige, cùm vltio aduenerit, visuri sunt, & ridebunt. Quia enim modò labi, ad eorum imitationem possunt, hinc habet formidinem; quia verò damnatus tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem.* Hæc D. Greg.

Iustus comparatus impio, pulchrior existit.
D. Greg. Iob 5.
Psal. 51.
Nunc iusti metuunt impios: cum vltio venerit, ridebunt.
Iusti, in cœlo, non compatiuntur damnatis.

VI. Expressit sanè quàm eleganter Regius vates lætitiam filiorum Israël in egressu de Ægyptiaca captiuitate in Psal. 103. Recolit nanque Dei miracula & beneficia, Hebræos de Ægypto educentis. Quorum *Primum* est, eductio Israëlis de medio populi barbari; id est Ægyptiaci, qui propterea barbaris dicitur, vt vult Rab. Salomon, quòd lingua sancta non vtatur. Sic Græci barbaros dicebant, quotquot Græcè loqui nescirent. Iudæi etiam hoc nomine Italos appellant. Vocamus, inquit Elias in Tisbi, Iudæos qui in Italia לועזים *Lohazim* simpliciter. Inde hanc appellationem ad omnes vernaculas linguas, qualis est Hispana, aut Gallica, extendunt. Sunt qui populum barbarum interpretentur, sæuum & inhumanum: Græci, Chaldæus, & Hieronymus, peregrino vtentem idiomate, exponunt.

Psal. 103.
Ægyptij cur barbari?
Qui lingua sancta non vtuntur, barbari habentur ab Hebræis.
Elias in Tisbi.
70. Interp.
Chald. parap.
D. Hieronym.
Psal. 80.

Vtraque interpretatio idonea est: Israëlitæ nanque crudeliter & inhumanè ab Ægyptiis sunt vexati; erátque eorum idioma barbarum ipsis, & peregrinũ, atque à sono sanctæ linguæ adeo alienum, vt inter Iosephi Patriarchæ molestias, hæc à Regio vate numeretur, quòd barbarè loquentes Ægyptios, exul audire cogeretur. *Linguam* (inquit Psalmographus) *quam non nouerat, audiuit.* Vbi Chald. Paraph. vertit, *Labium, quod nesciebat audiuit, & didicit.* Hebr. *Labium, quod nesciebat, audiuit.* Aliqui hunc locum referunt ad populum Israëliticum Iosephi Patriarchæ nomine significatum, qui aduena, linguam sibi ignotam didicit in Aegypto.

Chald. parap.
Molestum est linguam peregrinã discere.
1. Petr. 2.
Exod. 19. 5. 6.

VII. *Secundum*; Iudæorum sanctificatio: consecrauit nanque sibi Deus nationem Israëlitarum, præcipuè in exitu de Agypto: elegitque in populum, quem præ cæteris gentibus haberet clarissimum, & peculiari protectum numine. *Mea*, inquit Dominus, *est omnis terra* (nempe creationis iure) *at vos nunc, si me audieritis, eritis mihi regnum sacerdotale, gens sancta, peculium de cunctis populis, &c.* Itaque peculiariter Deus Iudaicam gentem elegit, in quam dominaretur per fidem, legislationem, & beneficentiam; cùm antea Ecclesia certæ alicui familiæ non esset alligata. Nam sanctus Iob, & tres amici eius Arabes: Loth, Balaam, & Nachor, Mesopotamij: & gentes quæcunque ex Noë, & filiis eius sanctam conseruarunt institutionem, ad Ecclesiam pertinebant. In Hebręo est: *Facta est Iuda sanctificatio eius.* Vnde plerique de vna tribu Iudæ locum intelligũt: quippe quæ, secto mari rubro, cæteris ingredi timentibus, nec duces suos, Mosen, & Aaron, qui præibant, sequentibus, prima, Dei nomine inuocato, audacter ingressa sit. Quo pro merito sanctificata, Dei peculium quodammodo effecta

Elegit Deus olim peculiariter gentem Hebræam vt in ea dominaretur per fidem, & legislationem.
Ante egressũ Israëlitarum ex Ægypto Ecclesia nulli certæ familiæ, aut genti erat addicta.
Tribus Iuda promeruit regnum, & alias prærogatiuas, quòd prima maris viam à Mose patefactam, sit ingressa.

Christus ex tribu Iuda.

effecta est. Id quoque priuilegium consecuta, vt ex ea educeretur semen sanctum, hoc est Christus. Quare etsi omnes tribus, potestatis sint, ditionisq; diuinæ: id nominatim conuenit Iudæ, ob regni & fidei prærogatiuam.

Mare diuisum fuisse in vnā, aut plures vias, opinio est: diuisum fuisse, fides. Psal. 136. Epiphan. Psal. 76. Israëliticus populus Angelo & Mose stipatus, retrocedere cōpulit mare. Iosue 3.

VIII. *Tertium*; Maris diuisio, quæ his verbis exprimitur: *Mare vidit, & fugit*, hoc est, vidit mare, Hebræum populum esse Dei sanctificationem, & possessionem; idcirco fugit, id est diuisum est, aut in vnam tantùm (vt communior fert opinio) aut in vias duodecim, vt cum Rabbinis in Psal. 136. sentit Epiphanius hæresi 64. Fugam verò vocat Regius vates; maris in arctum contractionem, & aquarum retro commeantium cursum; vt ex Israëlitæ sicco transirent vestigio, & Aegyptij ad ima vada demergerentur. Sensus ergo est; Maris rubri fluctus, vbi Deum præsentem & Israëli fauentem senserunt, subitò murorum instar conglobati, tanquam pauentes steterunt. Quod Psal. 76. Simili Prosopopœia indicatur, dum dicitur: *Viderunt & aquæ Deus.* Sunt qui ita explanent: Mare vidit, nempe populum, angelo & Mose stipatum; cúmque tam insigni comitatu decoratum quasi reueritus, cessit retro. Quod & Iordani accidisse traditur, gurgitibus in suos fontes reuolutis.

Saltitasse mōtes in transitu Israëlitarum, non Hyperbole est, sed vera narratio. R. Isaac. Gen. 19. Psal. 113.

IX. *Quartum*; montium & collium populo Dei applaudentium, commotio. *Montes, inquit, exultauerunt, vt arietes.* Hæc commotio facta est, Hebræis in vlteriori maris rubri littore positis, nec verò semel tantùm, sed sæpius, dum iter per solitudinem ageretur. Montes, inquit, & colles extra suum locum saltitarunt præ reuerentia, & numinis præsentis metu, dum populus transiret. Sunt qui hyperbolem hîc cogitent; quasi dictum sit ob exsiccationem maris, & Iordanis adeò mirabilem, vicini montes partim miraculum stupentes, partim Dei populo applaudentes, tripudiarunt. Et verò Rab. Isaac super caput 19. Gen. *Montes, inquit, exultauerunt, id est salierunt per quendam terræmotum vt arietes.* Additque nullam hîc metaphoram adhibitam; sed quemadmodum sine figura præcessit: *Mare vidit, & fugit.* Quia reuera, mare vndis retro commeantibus, locum cessit Israëlitis, sic verè cōmotos esse montes. Atque hanc interpretationem sequitur Genebrardus; affirmans, verè, & citra tropum, montes ac colles, quodam veluti trepudio facto, saltitasse: sicut maris & Iordanis aquæ verè conuersæ sunt retro.

Genebrardus.

Laudabilis Hebræorum consuetudo, hymnis & canticis laudandi Deum. Psal. 117. totus Eucharisticus. Paul. Burgēs. Psalm. 117. in tribus præcipuis festiuitatibus, in Neomenijs, & post cœnam Agni paschalis, recitabatur, cū quinque præcedentibus.

X. Possem innumeras lætitiæ causas persequi, quibus commoti Hebræi se inuicem adhortati sunt ad diuinas laudes festiuo modulatu decantandas; sed compendio vti malui, quoniam ad finem commentariorum properanti, quas attigi satis fuit meminisse. Solùm aduerto, commendandum esse laudabilem Hebræi populi morem, omni posteritati. Secundùm quem, hymnis & canticis ritè compositis, quoties accepta à Deo beneficia recolebant, toties grati edebant animi significationem. Hinc Psal. 117. siue secundùm Hebræos 118. qui incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, &c.* Totus Eucharisticus est; totus in recordatione beneficiorum positus; totus lætitiæ spiritalis index. Hic est ille Psalmus, qui (vt refert Paulus Episcopus Burgensis) cum quinque in Psalterio præcedentibus, ab Hebræis magnus & solennis hymnus appellari solet; ac propterea olim, Ecclesia Israëlitica vigente, in Neomeniis, & tribus præcipuis festiuitatibus, cum maiori celebritate quàm cæteri hymni, canebatur. Moris insuper Iudæorum fuisse tradit, hunc hymnum in nocte Paschæ sumpto typico Agno, à recumbentibus

in

in mensa, ritu solenni, recitari. Ac proinde hunc esse illum hymnum ait, quo Christus post mysticam cœnam vsus est, & de quo intelligi debet illud Matth. 26. *Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti &c.* Patres ferè, & sacri interpretes, ex hymno, à Christo, post cœnam, cum discipulis decantato colligunt, morem agendi gratias, post sumptionem ciborum, non solùm in vltima cœna, sed in aliis etiam, locum habuisse, vt reuera habuit, & nunc habet in Ecclesia ex doctrina Christi, & Apostoli 1. Timot. 4. qui ait, cibos creatos esse, vt à fidelibus percipiantur cum gratiarum actione. Vide quæ annotauimus, super cap. 4. Epistolæ citatæ sect. 1. versu 13. Annot. 8. Origen. in caput Matth. suprà positum, docuisse ait Dominum, hymno post cœnam dicto, discipulos, quid facere debuissent accepta panis aut calicis benedictione. Certè D. Chrysost. bestiis comparat eos qui è mensa surgunt nulla præmissa gratiarum actione. Eos insuper carpit qui è sacris exeunt mysteriis, ante vltimam orationem; quæ, vt ille ait, hymni à Christo, post cœnam decantati, est signum. Nos ergo, quos innumera Redemptoris nostri beneficia quotidie ad illius alliciunt amorem; vinculóque astrictiori deuinciunt quàm olim Israëlitas; singulis horis, ne dum diebus, gratias immortali bonorum autori, & beneficiorum largitori debitas, læti persoluamus. Non enim potest deesse diuinæ bonitatis commendandæ materia, vbi perpetuò oculis obseruatur infinitus beneficiorum cumulus. Quibus potest modis, erumpat Christiani hominis pectus, in voces grati animi indices. Audiantur cantica; sonent hymni ad laudandum Deum in Ecclesia compositi. Accedant Psalmi, & quicquid potest Christi, Dei & hominis, extollere, in omne genus hominum collata beneficia. Sic nanque beatarum mentium de diabolo, mundo, & concupiscentiis triumphantes cœtus, quos Hebræi Epinicion canentes præfigurarunt, in hac vita vtcúnque imitabimur, donec illis in futura sociati, diuinas laudes celebrabimus, nunquam intermissa canendi voluptate.

Quinam fuerit hymnus, quo post cœnā vsus est Christus.

Matt. 26.

Mos agendi gratias post cœnam.

1. Tim. 4.

Origen.

D. Chrysost.

Similes belluis sunt qui sine gratiarū actione è mensa discedunt.

Beneficia diuina amplam nobis suppeditāt materiam laudādi Dei.



S IN



IN CANTICVM Mosis, & filiorum Israël,

EXEGETICA INTERPRETATIO.

I. QVONIAM multorum hominum ingenium est, explicationem paulò longiorem, licèt accurata sit, & exactè tradita, fastidire: Multi quoque, qui accuratam & absolutam sectantur rerum cognitionem, negotiis distenti, horis tantùm succisiuis ad sacram lectionem accurrunt: vt illorum fastidio, & horum necessitati nostra non desit industria (*omnibus enim*, vt ait Apostolus, *debitores sumus*) & argumentum, & paraphrasim cantici subiiciemus. Idque quoniam amici vtile fore & gratum lectori affirmant: vt voluptas pro diuerso hominum palato, vtilitati copuletur; paraphrasim dabo, cùm soluta tum ligata oratione concinnatam. Atque inprimis totius cantici hæc summa est.

Rom. 8.

II. Populo Israëlitico, de seruitute Ægyptiaca, admirabili Dei virtute liberato, incredibilem attulerunt lætitiæ voluptatem, cùm maris rubri, Mosaicæ virgæ attactu, recedentes in diuersa, fluctus, vt iustorum agmen, in littus optatum sicco transiret vestigio: tum barbarorum exercitus, cum Rege suo repente submersi: numine, gentis impiæ nefarios conatus coërcente. Moses, Hebræorum dux, cum filiis Israël; & Maria prophetissa, illius soror seorsim cum mulieribus; carmen hoc, quod, & eucharisticum est, & propheticum, Domino cecinerunt, non sine stupendo miraculo, vt D. Augustinus lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 21. autor est. Accidit nanque, vt cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates, eodem afflati spiritu, vno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti, easdem literas concinentes, in vnum decantarent. In hoc ergo carmine Moses, præmissa breui (vt credere par est) ad populum exhortatione; afflatus ipse primùm diuino impulsu; admirabilem illam Israëlitici populi liberationem, vnà cum hostium, ex aduerso persequentium, interitu; numeroso & emphasis pleno astringit metro. Deinde non minùs speratam quàm optatam, in terram promissam, Israëlitarum introductionem, partim efflagitat precibus; partim prophetica prædictione denuntiat. Amorrhæorum, & omnium, qui diuinis voluerint obsistere consiliis, futura narrat detrimenta, & extremum imprecatur infortunium.

Virga Mosis attactus potens.

D. August.

Exod. 15.

III. Est præter cæteras huius eximij cantici laudes, illa singularis, quòd secundùm allegoriam, Israëlitici populi de Ægypto per mare rubrum liberatio, teste Apostolo, typus extiterit nostræ per sanguinem, ac Baptisma Christi, de potestate diaboli eductionis. Rursúsque eiusdem populi in terram sanctis olim patribus à Deo promissam introductio, figura fuerit sperati à nobis, in

Allegoria huius cantici.

Baptismi typus.

in cœlestem regionem, ad quam anhelamus, ingressus. Decet autem, in sensu allegorico, canticum hoc ita accipere, vt in eo intelligamus, Ecclesiam catholicam, diuinis cumulatam beneficiis, Deo, hilari voce gratias agere, de sua, per Christi sanguinem, à peccati seruitute, liberatione: simulque optare promissam cœlestis regni hæreditatem, quam, vt adipiscatur, viam ingreditur, Christi cruce, & meritis, quasi Mosis virga, in mari rubro, veris Israëlitis patefactam. Hoc sibi tum confidenter promittit tum suppliciter orat. Sunt profectò in hoc cantico nonnulla à Mose & filiis Israël, hoc est, ab Israëlitica Ecclesia decantata; vt, quæ, de habitaculo Dei firmissimo, & monte hæreditatis prædicuntur: quæ, si libero iudicio perpendantur, non nisi Ecclesiæ Christi conuenire possunt. Quare Ecclesiæ nouæ, vt se gratam Christo exhibeat, modulari cantica moris est. Canticum enim (vt autor est Eusebius Cæsareæ Episcopus) Theologia est, in rectis dogmatibus posita; quam anima perfecti viri, per se ipsam meditata, Deo consecrat. vel aliter: Canticum, est vox, quæ cum melodia & harmonia profertur, absque sono instrumenti. Hoc primùm cecinerunt Israëlitæ, cùm sicco pede mare transierunt. Non, quòd maris contractionem quandam & refluxum, qui in illo loco fit, obseruassent; vt calumniantur, qui idola colunt, & in stulta viuunt opinione, (vt testatur prædictus Eusebius) si enim rei natura id haberet, nouissent præter Hebræos, Ægyptij, vt magis finitimi, & illorum locorum accolæ huiusmodi refluxum; sed, ad gratias numini agendas, hoc cantico impulsi sunt, cùm inuictam Dei virtutem, hostes debellantem, & se protegentem conspexissent. Quare cùm Ecclesia simile præsidium sæpe sit experta, meritò se gratam Deo exhibet, huius cantici modulatu.

Ex hac vita in cœlũ transitus figura.

Crux instar est virga Mosaica.

Euseb. Cæs.

In trãsitu Israëlitarũ nulla obseruari potuit solita maris contractio.

Ad singulos versus cantici Mosis Interpretatio Exegetica.

1. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est; equum, & ascensorem deiecit in mare.*

IV. Rerum mirabilium læti spectaculo, grates cœlesti numini, à quo beneficiis innumeris cumulati sumus, debito carmine persoluamus. Enimuerò ex iis quæ ad noua miracula, stupente natura, pro nobis patrauit; & splendor elucet sapientiæ, & potentiæ ineluctabilis magnitudo. Equos enim hostium nostrorum, armis in nostram perniciem instructos, simul cum equitibus, insano superbiæ tumore inflatis, in vorticosi maris fluctus deuorandos exturbauit. Hoc facto, post edita in Ægypto quàm plurima signa, declarauit Deus, nihil esse quod diuinæ potentiæ subditum non sit; siquidem mare, iustis viam inter fluctus aperit, qua læti gladios hostium effugiant; iis verò, qui eos persequuntur, interitum affert. Non quidem naturali impetu, mare id fecit; sed præter naturam coactum, diuinæ paruit voluntati. Tunc (inquit Cyrill. Alex.) Pharaonem, & eius exercitum submersit. Nunc autem per aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, Stygium Pharaonem, currus superbiæ humanæ conscendentem, in Baptismi fluctibus demersit, vt verus Israëlita, ab illius seruitute liber exiret, nec timore ampliùs quateretur, illo fretus, qui ait; *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equum,*

Cyrill. Alex.

Num. 10. v. 9.

equum, & ascensorem, & populum multum, non timebis; quoniam Dominus Deus tuus tecum est.

2. *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.*

V. Nobis, iniuria affectis, opem attulit, &, veluti aquila pullos, prouidentiæ suæ pennis texit, Aegyptiis in interitum congregatis: nos, in columna ignis & nubis, incolumes per mare ad littus vsque optatum, traduxit. Erat quippe Israeli aquarum murus, à dextris & à sinistris, in defensionem & salutem erectus. Hic Deus meus est, qui solus Deus est verax & potens, cuius natura communicari cum falsis Diis non potest. Hic verè Deus est, non ij, qui à nobis in Aegypto sunt culti, huic gloriam dabo. *Dominum hunc meum adorabo, & illi soli seruiam.* Etsi enim nos in Aegyptiaca captiuitate detenti, dæmonibus, & non Deo, victimas obtulimus: nunc meliori afflati spiritu, protestamur fore deinceps, vt Deum patris nostri Iacob veneremur, & præconiis, quantùm valemus, magnificis extollamus, nihil interim de ipso abiectum, nihil humile suspicantes; imò ipsum Deum verum esse, & totius mundanæ vniuersitatis opificem, reiectis inanibus simulactorum figmentis, agnoscamus; non recentem sed sempiternum. Hunc enim qui solus est, nouit Iacob noster Patriarcha, nec aliud numen vnquam suspexit. *Matth.4.*

3. *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius.*

VI. Adfuit hic Deus meus, quem maiores mei coluerunt, nobis in periculo constitutis, non quacunque ope, sed sua præsentia, tanquam princeps, qui, ne castra suæ commissa fidei pereant, instar bellatoris promptissimi, & ducem agit & militem. Nomen illius sciscitaris? Omnipotens nomen eius. Hoc nomine ab aliis Diis secernitur.

4. *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius, submersi sunt in mari rubro.*

Tristati. VII. Suam verò omnipotentiam, vel hoc argumento declarauit, quòd Pharaonis falcatos currus exercitúmq; fluctibus immersit. *Electi principes eius; sive ascensores tristata*: vt legit D. Hieronym. siue triarij (vt alij vertunt) aquarum gurgitibus, in mari rubro deuorati perierunt. Porrò exercitus Pharaonis (vt annotat. Gregor. Nyssen.) cœtum significat hominum, qui absurda studia & affectuum dedecora, duce satana, sectantes, bella excitant Deum timentibus; sed huiusmodi bella conterit Dominus, qui vires suppeditat, vt super aspidem, & basiliscum ascendamus, & super omnem inimici potentiam. Electos principes, eos intellige qui à satana honoribus & diuitiis magni ostentantur, vt ad scelerum societatem, autoritate sua & potentia stultam plebem alliciant. An non alibi, sacræ literæ, electas vocant illius escas. *Hieronym. Vatabl. Greg. Nyss. Hab.1.v.16.*

5. *Abyssi operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis.*

VIII. Hi omnes aquarum voluminibus obruti, ad ima pelagi vada, instar lapi

lapidis ſuopte pondere ſubſidentis,abierunt. Nec mirum:lapidibus enim erāt ſtupidiores,& grauiores,nihil leue ac ſublime cogitantes. Quare, ſicut onus graue grauati ſunt, & non in maris ſuperficie ſed in profundo ſedem inueniunt. Peruenerunt enim qui huiuſmodi ſunt, in malorum profundum, pro nihilo Deum ducentes. Ab iis longè diſsimiles ſunt ſancti; *qui, vt nubes volant* (inquit Iſaias) *&, vt aquilæ, per aërem feruntur.* *Greg. Nyſſ.* *Iſai. 40.*

6. *Dextera tua Domine, magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſsit inimicum.*

IX. Dextera tua, Domine, hoc vno miraculo haud obſcurè declarauit inſitæ virtutis magnitudinem. An non admirabilis potentiæ tuæ vis Pharaonē, tuum, noſtrum atque adeò communem hoſtem, de culmine elationis humanæ deiectum, mortis acerbiſsimæ, quo dignus erat ſupplicio mulctauit? Cùm verò ſacræ literæ (vt Greg Nyſſ. aduertit) ſæpius dexteræ, brachij & manus vocabulo, Filium Dei ſignificent, ipſamque diuinitatis potentiam: ſanè rectè hîc dexteræ nomine, Chriſtum, qui Dei potentia, & ſapientia eſt, intelligimus. Huius enim virtutem, quæ patribus iam oljm nota fuit, cùm nulla humana vi aut induſtria expugnari poſsit, contriuiſſe Pharaonem, illiuſque exercitum, non dubitamus. *Greg. Nyſſ.*

7. *Et in multitudine gloriæ tuæ, depoſuiſti aduerſarios tuos: miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos, ſicut ſtipulam.*

X. Profectò cùm magnifica ſummæ gloriæ excellentiſque potentiæ tuæ ſignificatione hoſtes deieciſti, in tui nominis iniuriam, & in gentis noſtræ incumbentes perniciem: haud aliter cœleſtis vltionis impetus, eos conſumpſit, quàm vorax flamma arentem ſtipulam. Atqui Deum affectuum humanorum expertem eſſe quis neſcit? Iram tamen Dei vocat ſacra pagina, motum quendam diuinitus excitatum ad puniendos peccatores animaduerſione dignos; cuius motus ferè Angeli ſunt adminiſtri, iuxta illud, ex verſione. 70. Interpretum: *Immitte iram & furorem, immiſſionem per Angelos malos.* At dices: Ira & furor quomodo mitti poteſt, cùm ira ſiue furor, feruor ſit ſanguinis circa cor; nec Deus affectus habeat humanos? Iræ igitur immiſsione, pœna eſt intelligenda, quæ peccatoribus infligitur, atque in Ægyptios tam vehemens fuit, vt eos abſorbuerit, ſicut ſtipulam flamma. *Ira & furor quomodo Deo tribuantur.* *Pſal. 77.* *Ira feruor eſt ſanguinis circa cor.*

8. *Et in ſpiritu furoris tui, congregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.*

XI. Significatione indignationis tuæ, qua illorum ſuperbiam refutabas, & flatu vehementiſſimo, ab ira tua contra illos concepta, excitato; aquæ maris in duas ſectæ partes, naturæ ſuæ fluxionem oblitæ & ad lapſum innatam pronitatem, vt Iſraëli ſiccum iter pateret, in cumulos coierunt. Vnda infrenato fluxu ſtabat immota, tuo ſeruiens imperio. Hinc & inde; O miram numinis potentiam? aquarum tenebroſas profunditates, in medio mari, videre erat. Porro ſpiritum furoris, Angelum appellat huic ſubſeruiētem vltioni, vel for-

tè Austrum,qui aquas aggregauit,& fluxam naturam coercens,quendã veluti murum effecit.

9. *Dixit inimicus:Persequar,& comprehendam:diuidam spolia,implebitur anima mea; euaginabo gladium meum; interficiet eos manus mea.*

XII. Hæc cùm Aegyptius vidisset, putauit eandem sibi, quæ Israëlitas exceperat, paratam esse semitam, ac proinde procliue sibi esse, illos persequi: *Persequar*,inquit,*& comprehendam;diuidam spolia*,atque hoc modo; tum in punitione, tum in spoliorum diuisione, accensam desiderij mei explebo cupiditatem,comprehensis autem perfugis,iniuriam mihi illatam,nequaquam condonabo. Districto in eos mucrone grauiter animaduertam. Pauperes & extremè indigentes, ex diuitibus, efficiet eos,& conficiet manus mea.Hos quidem cędam;illos verò ad miserandam seruitutis ignominiam ferendam,viuos conseruabo.

10. *Flauit spiritus tuus,& operuit eos mare:submersi sunt, quasi plũbum, in aquis vehementibus.*

XIII. Cæterùm,tu Domine,insanientis eorum mentis elationem,cùm nihil tale cogitarent,dignam supplicio esse, signis cœlestibus declarasti. Immisisti nanque flatum auræ vehementissimum, quo fluctibus in diuersa prius actis,in suam rursus naturam redeuntibus, repentè gurgitibus absorpti sunt; & plumbi instar, in vndis furibundè tumultuantibus, momento temporis submersi.

11. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate:terribilis,atque laudabilis,faciens mirabilia?*

XIV. Hanc fortitudinis tuæ declarationem, dum considero, Domine, exclamare lubet,quis inter eos,qui fortitudine excellere existimantur, siue illi Dij appellentur,siue homines sint,tibi queat comparari? Quis,inquam, similis est tibi Domine?Quis sanctitatis præconio ita se effert,vt debeat, cum formidine & religioso metu laudari,sicut tu Domine, qui solus patrator es miraculorũ,quæ ab aliis diis nequeunt fieri? Nemo profectò est qui vel sanctitatis tuæ sublimitatem æquare valeat, vel potentiæ magnitudinem, per quam, & impiis terrorem incutis,& iustis suppeditas laudis argumentum. Qui,pro,*terribilis atque laudabilis*, vertunt, *terribilis laudum*; hunc eliciunt sensum: etiam eùm laudaris, religiosum timorem iniicis tuis laudatoribus. Nemo igitur est similis tibi,ô Domine:neque in potentiis (vt Symmachus reddidit) neque in sanctitate æquiparari tibi quis poterit,vel etiam aliqua in re assimilari: quandoquidem neque,quæ omnino diuersa sunt comparari possunt, neque opera cum suo opifice, neque cum eo qui est,ea quæ non sunt. Planè nanque omnibus quæ aliquam dignitatem habent,longè præstas eximiis prærogatiuis,iisq; excellentiis,quæ addici in comparationem nec possunt,nec debent.

Isid.Clarius.

Symmachus.

12. *Extendisti manum tuam,& deuorauit eos terra.*

XV. Siue igitur magnificentiam tuam considero, siue potentiam Hebræis.

bræis fauentem,& perimentem Ægyptios, omni te laude dignissimum agnosco.Dextera nanque manus tua,quæ olim propter bonitatem, tolerantiam, & patientiam contracta erat, extensa contra Ægyptios est. Hanc illi pro nihilo habentes,& in obfirmato ad malitiam animo perseuerantes, *thesaurizauerant sibi ipsis iram,in die ira.* Cæterùm eos terra voragine facta absorpsit, postquam à maris fluctibus obruti sunt,& à filiis Israël spoliati. Primùm (vt Greg. Nyss. docet)quia voluit Deus,filiis Israël,qui adhuc sibi timebant ab Ægyptiis, persuadere eos penitus necatos esse: quod, adductis in conspectum cadaueribus, effecit.Deinde,ne putarent,per ludificationem oculorum, facta quæ viderāt; spolia illis obtulit detrahenda, quibus ad bellum contra Amalechitas suscipiendum,indigebāt. Tertiò adducta ante oculos cadauera,ne halitu pestilenti nocerent,terræ hiatibus absorpsit; sicut & quibusdam accidit, qui ob insigne aliquod flagitium,à terra sunt deuorati.

Rom. 2. *Greg. Nyss.* *Cadauera Ægyptiorum ad littus eiecta.*

13. *Dux fuisti in misericordia tua,populo quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.*

XVI. Israëlitico populo,qui multis nominibus tuus est,& quē ex Ægyptiaca captiuitate redemisti, per columnam nubis, & Angeli tui præeuntis ministerium,te ductorem præbuisti.Atque ex his factis, quibus te huic populo benignum & fauentem hactenus declarasti, haud obscurè innotescit, fore vt eundem singulari virtute,non solùm protegas, sed etiam instar matris, dilectum filium in vlnis suis gestantis,ad terram maioribus illorum promissam, sospitem deducas & incolumem: ad terram, inquam, quam tibi ad habitandum,vt sit mystici cultus sacrarium,& sanctuarium tuum,elegisti. Greg.Nyss. & ferè Græci,legunt: *Dux fuisti iustitia tua populo tuo.* Nec sine emphasi: est enim iustitiæ opus; hospites,quales erant Israëlitæ in Ægypto, iniuria lacessitos,seruare:in seruitutem abductos,patriæ restituere:pios denique,impiorum insidiis circumuentos,à periculo eripere.Pro,*portasti*, Græci legunt, *adhortatus es*, ô Domine,in fortitudine tua periclitantem populum,ne obiectis passim discriminibus territus desperaret; Imò illorum hostibus profligatis salutem præferens,in terram promissam eos induxisti.

Greg. Nyss.

14. *Ascenderunt populi, & irati sunt; dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm.*

XVII. Cùm audierint gentes, res quas supra omnem naturæ facultatem,in gratiam Israëlitici populi, perpetrasti; & deinceps maiori cumulo patrabis; ira & furore nimio permotæ excandescent; cuius turbationis testis erit Rahab meretrix Hierichuntina, cùm populorum tumultum speculatoribus à Iosue missis annuntiabit:& alienigenæ arcam conspicientes,væ nobis!numen Israëli propitium formidantes,exclamabunt. Dolor ex metu profectus ad pugnam cæco impetu concitatos. Palæstinæ incolas,anxiè torquebit, & illorum sensus stupore alligabit.

Ios. 2. *1. Reg. 7.*

15. *Tunc conturbati sunt principes Edom:robustos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

XVIII. Edom & Seir, nomina sunt Esau fratris Iacob Patriarchæ: ex quo

Esau, dictus est Edom, & Seir.

quo Idumæi prognati sunt. Moabitæ verò, à Moab, filio Loth. Idumæorum ergo principes, inexpugnabilem diuinæ dexteræ virtutem, Israëlitas protegentem, cùm viderint, partim ira, partim formidine turbabuntur. Toris contremiscent artibus Moabitarum robustissimi milites. Omnes præterea Chananææ incolæ, frigido sanguine præcordia obtinente, pauore extabescent.

16. *Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine: donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.*

XIX. Magnitudo potentiæ tuæ, iniecta barbaris formidine, illorum pedes & manus, veluti quibusdam vinculis constringat: stent saxorum instar, suis affixi sedibus; nec valeant conflato exercitu obuiam nobis prodire. Stent, inquam, immobiles, donec ad terram promissam populus tuus, Domine, nullo interpellante incolumis perueniat. Est nanque populus iste tuus; quippe quem ex omnibus totius orbis nationibus, veluti in tuum peculium & hæreditatem electum, magnis tibi beneficiis, & insolitis acquisiuisti prodigiis. Hæc autem, vt eis accidant, cùm non simus maleuoli, nec alienæ felicitatis inuidi, propterea precamur; ne, paulò antè tua virtute in libertatem vindicati, aliquid mali, incursu hostili territi, transeuntes patiamur.

Deus populũ Hebræum beneficijs sibi deuinxit.

17. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine, sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

XX. A te, ô Domine, enixè petimus vt populum tuum, in promissam terram introducere velis per medios hostes illæsum. Introductus verò, fac tua virtute, vt altissimas agat radices, plantarum more, in montosa illa regione, quam instar hæreditatis tuæ delegisti; & tanquam firmissimam habitationem, iam olim, ad hunc vsum parasti; vt in medio populi tui, domicilium haberes. Illud autem intelligo sacrarium, quod ita sibi firmum, & stabile effecit Omnipotens virtus tua, vt nullo valeat concuti hostili impetu, ne dum ferro aut flamma labefactari.

Chanaan regio est montosa.

18. *Dominus regnabit in æternum, & vltra.*

XXI. Erunt hæc: quia Dominus, quem Israël colit, amplissima & plusquàm regia pollet virtute. Euertit principatus & regum ditiones: dudúmque contriuit capita draconum in aquis, ne populo suo nocerent. Victor ergo & triumphator Deus, in omnem seculi æternitatem regnabit; imò vltra omnem temporis præfinitionem.

Psal. 73. vers. 13.

19. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris: filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius.*

XXII. Cæterùm, hæc dicimus, iis edocti rebus quas natura, ad tua miracula

racula obstupescens, nostris subiecit aspectibus: cùm nimirum hostem iam in fugam vertisses, & totum pelagus, in falciferis instructos rotis currus, ipsosque curuum dominos, atque equorum ascensores, insperata inundatione infudisses: Israele interim tanquam in continenti per mediam siccati maris viam, quam diuina aperuit virtus, transeunte.

XXIII. Contemplari hîc licet, oculis sublimiora spectantibus, Christi Seruatoris in nos collata beneficia, quod & Gregor. Nyss. fecit. Principes nanque, & duces Edom, & alienigenarum gentium, quæ, impiis erant imbutæ moribus, considerare si lubeat, intelliges arcano sensu, satanam in illis significari, & prauas, quæ sub ipso sunt potestates, hoc est, tartareos administros, qui moti sunt videntes inexpugnabilem Dei manum, in impios irruentem; clamantésque aliquando dixerunt: *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei, venisti ante tempus torquere nos?* cernentes Sionem, hoc est, nouam Ecclesiam cœlesti fœtu grauidam; imò in lucem, felici partu, iam emittentem, ex Hebræis & ex gentibus, dignam beatis sedibus sobolem, ruptis liuore præcordiis, veluti liquefacti, & viribus destituti, vno in loco sestitere. *Allegoria.* *Greg. Nyss.* *Matt. 8.*

Hi sunt illi Angeli, qui Apoc. 9. v. 14. dicuntur: *Alligati in flumine magno Euphrate.* Quem locum enarrans Andreas Cæsariensis: *Ego*, inquit, *hos existimo esse pessimos dæmones alligatos, in Christi aduentu &c.* Solere nanque, diuina virtute, malos Angelos alligari ad certa loca, ne noceant, nisi quando Deus hominum peccatis offensus, id permiserit, ex Tobiæ 8. est manifestum; vbi scriptum est: *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti &c.* Quatuor autem Angelorum nomine, qui à D. Ioanne loco cit. in Euphrate dicuntur alligati, non quoscúnque intelligo, sed eos quibus curæ erat, vt per se, & inferiores spiritus, infestarent quatuor terræ plagas, hoc est Orientis, Occidentis, Borealis, & Australis oræ habitatores; eósque ad idololatriam, & omnia peccatorum genera omni conatu inducerent; nequando ad cœlestem beatitudinem potiundam anhelarent. Alligati ergo sunt post Christi aduentum in flumine Euphrate, qui Babylonem alluit, hoc est, (vt Tyconius hom. 7. quem sequitur Beda & alij interpretantur) vt in cœtu peccatorum, qui ob confusionem, ciues Babylonis censentur: vel, quod magis littera indicat, cõstricti sunt in loco aliquo secretiore, & ab hominibus, quibus frequentiùs nocebant, remotiore; vt enim inquit Andreas Cæsariensis, post Christi aduentum, dæmonum alij, in abyssum; alij, in porcos; alij in alia mittuntur loca, secundùm quod Deo visum est, vsque dum, mundo senescente, finito omni ipsorum bello contra homines suscepto, in inferorum sedibus, æternos sustineant cruciatus. *Apoc. 9.* *Mali Angeli virtute Christi sunt alligati.* *Andreas Cæsariensis.* *Tob. 8.* *Erant ante Christi aduentum dæmones quodã modo, soluti, illius aduentu ligati sunt.* *Tyconius.* *Andreas Cæsariensis.* *Dæmones in variis locis nocēt, nec quiescent ante mundi finem.*

Quid si propterea Euphratis fit mentio, quòd veteres Patriarchæ à locis quæ trans Euphratem sunt, genus ducunt? certè Abraham primus, Dei iussu, Euphratem transiens, venit in terram promissionis, quæ nouam Ecclesiam significat. Alligantur ergo bonorum operum corruptores Angeli in Euphratem, quia per Euphratem transeuntibus, hoc est, iis qui per Baptismi aquas ad Ecclesiam Christi affectu syncero se adiungunt, non ita facilè nocere poterunt, atque iis qui trans Euphratem, inter confusionis filios commorantur; & quidem, vt Baptismum intelligeres, dictum est potiùs in flumine Euphrate, quàm in Babylone; sic nanque Apostolus 1. Cor. 10. facta maris rubri, quod *Dæmones minùs nocēt Baptizatis quàm alijs hominibus.* *1. Cor. 10.*

T Israe

Israelitæ relicta Ægypto transierunt, mentione; Baptismum legis gratiæ aptè significauit. *Omnes*, inquit, *mare transierunt; & omnes in Mose baptizati sunt, in nube, & in mari &c.* Est ergo quòd Christo Domino gratias agamus immortales; qui non satis habuit iter nobis, per Baptismi aquas, ad cœlestem patriam aperire; sed Angelos quoque apostatas, in hominum perniciem excubantes, diuinæ potentiæ catenis ita constrinxit, vt nocere nobis inuitis haud quaquam possint. Ad hanc alligationem per Christum factam, referunt Ambros. Beda, & alij ferè illud Apocal. 20. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligauit eum &c.* Dum igitur principes Edom, & robusti Moab, id est, dæmones, rectores tenebrarum harum, fiunt immobiles, Christi virtute, quasi lapis: quod precatus est Moses: Israelitis associemur; atque hymnum modulantes, dicamus: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est.*

Ambros. Beda. Apoc. 20.

PARA



PARAPHRASIS IN CANTICVM MOSIS, ET FILIORVM ISRAEL.

Exod. 15.

Hortatur Moses Israëlitas, ex Ægyptiaca seruitute liberatos, ad Dei laudes decantandas.

Isacidæ in laudes diuini numinis ora
Soluite; fulminibus, cœlestem agnoscite dextram
In scelus armatam; fidibus ter mille canoris
Fatidicos, de more patrum, vox efferat hymnos.

1. Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem deiecit in mare.

CANTEMVS *Domino; cuius super æthera pennis*
Euolat auratis, sublimis gloria; cuius
Maiestate polus, tellus, & sidera nutant.
Illius euehitur decorata potentia signis
Astra super; summersit equos, equitúmque maniplos
Vorticibus rapidis; Pharium vorat vnda Tyrannum.

2. Fortitudo mea & laus mea Dominus; & factus est mihi iu salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei & exaltabo eum.

Me verò, licèt ingenti conuulsa tumultu
Aequora turbentur: quanuis operosa laboret
Assultu mundi moles; vis nulla mouebit:
Est mihi nánque Deus, muri instar, laus mea, virtus.
Illius in dubijs tribuit mihi dextra salutem,
Casibus. Iste meus Deus est: facta inclyta cuius
Vsque canam; nostri hunc olim coluêre parentes,
Et sua thuricremis posuere altâria flammis.

3. Dominus quasi vir pugnator: Omnipotens nomen eius.
†. 4. Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit iu mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro.

Non aliter Deus, omnipotens, cui nomen in hostes
Fertur bella ciens; quàm, cum pugna aspera gliscit,
Vir bellator. † *Equos Pharij currúsque Tyranni*
Fluctibus inuoluit: rubri maris vnda dynastas

* 5. Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profundum quasi lapis.

*Sorbet in abruptum. * Tumefacta superbia vento,*
Quos dudum extulerat; saxi instar ad ima profundi
Descendunt, animásque efflant sua gurgite vasto.

6. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua Domine percussit inimicum.

Dextera sic miris Deus est tua cognita factis:
Fortis in aduersas acies, dum surgis, & arma
Bellica contundis, referens ex hoste triumphum.

7. Et in multitudine gloriæ tuæ, deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam.

Pœnarum exhaustum satis est. Vindicta nocentes
Vsque premit: toto tua gloria fulgurat orbe.
Ira tua in gentes, sine fræno emissa rebelles
Sæuit, vt in stipulam bacchata licentia flammæ.

8. Et spiritu furoris tui cōgregatæ sunt aquæ: stetit vnda fluēs, congregatę sūt abyssi in medio mari.

Humida regna tui vim sunt experta furoris.
Tethyos vndisonæ promptæ, vt tua iussa capessant,
Associantur opes: nobis stant cærula, & altè
Fluctibus in mediis via panditur: æquora sese
Hincinde attollunt; geminus stat murus aquarum.

9. Dixit inimicus: persequar & comprehendam; diuidā spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladiū meum; interficiet eos manus mea.

Persequar Isacidas fugientes; persequar agmen
Seruile, hostis ait; manibus post terga ligatis,
Agnoscent regem, qui non nouere, solutis
Militibus spolia ampla dabo. Quod suggerit ira
Hoc faciam: gladium stringam: mea dextra rebelles
Occidet; facta cumulabo stragis aceruos.

10. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plūbum in aquis vehementibus.

Hæc vbi dicta dedit, medio quà semita ponto
Panditur, incedunt Aegyptia castra: Repentè
Spiritus ecce tuus, Deus, alto insibilat: vnda,
Quæ concreta viam Hebræis patefecerat, auram
Excipit; ínque locum, refluit, liquefacta, priorem.
Scuta virûm, currúsque natant. Quid corpora? plumbi
Instar, Erythræas visunt resupina lacunas.

11. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate: terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia.

At nos, diuina protecti in littore dextra,
Vidimus aduerso proiecta cadauera fluctu.
Quis sua diuinas metiri ad robora vires
Audeat? eximiæ virtutis munere quisquam est,
Qui valeat conferre tuis sua facta triumphis?

Hostiles

Hostiles terrens cuneos,praeconia vera
Laudis habes:totoq́; patras miracula mundo.

12. Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.

Hausit hians subitò, ruptis compagibus,hostes
Terra tuos:extenta manus,cœlestibus armis
Hîc Deus attonito,tuâ,pœnam ex hoste poposcit.

13. Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti:& portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculũ sanctum tuum.

At contrà,Hebraea tu dux tu gloria gentis,
Castra praeis ; populúmque iuuas miseratus egenum,
Hunc redimens;templíque tui ad penetralia ductans,
Mellis abundantem,& cœlesti rore madentem
Tellurem spondes,optatáque mœnia donas.

14. Ascenderunt populi & irati sunt: dolores obtinuerũt habitatores Philisthiim.
* 15. Tunc conturbati sunt principes Edom; robustos Moab obtinuit tremor;obriguerunt omnes habitatores Chanaã.

Haec vbi Amorrhaea gentis peruenit ad aures
Fama,Palaestini coeunt:dolor iráque mentes ,
*Sollicitat pauidas. * Iam conturbatus Idumes*
Accola palmiferae queritur;sua iugera princeps
Moabitarum,aspiciens habitura colonos
Mox alios,gemit infelix;gemuere clientes,
Et validi ad pugnam passim obriguere lacerti.

16. Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui : fiant immobiles quasi lapis; donec pertrãseat populus tuus Domine, donec pertrãseat populus tuus iste, quem possedisti.

Incumbat formido animis;ignauia vaecors
Te,pugnante Deus,gentem alliget,arma sequentem
Impia;destituat solitus sua corpora motus.
Turba profana instar saxarum immobilis astet,
Donec promissas iustorum exercitus oras
Obtineat;populúsque tuis,modò ab hoste redemptus
Auspicÿs;inimica hilaris pertranseat arua.

17. Introduces eos, & plantabis in monte haereditatis tuę,firmissimo habitaculo tuo,quod operatus es Domine, sanctuariũ tuum,Domine, quod firmauerunt manus tuae.

Tu,super extensas aquilarum ad mœnia pennas
Nos duces optata Deus:radicibus arbor
Non sic pomiferos attollit in äera ramos
Firma suis;vt Iacobi generosa propago
Monte tuo,dexteráque tua ceu consita,surget:
Hîc tua seruabunt sacros habitacula cultus.
Hinc fundata opibus diuinis templa refundent

* 18. Dominus regnabit in aeternum,& vltrà.

*In populos numen : * Maiestatísque verendae*
Profert imperium,ventura in secula fama
Vltra annos,& secla Deus regnabit & vltrà.

 Victor

19. Ingressus est enim eques Pharao cũ curribus & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris, filij autem Israël, ambulauerunt per siccum in medio eius.

Victor Io Deus est; Aegyptius aequor apertum
Est ingressus eques; tumidáque accensus ab ira
Axibus apposuit falces; strepitúmque rotarum
Addidit; & caelo donec vindicta nocentem
Obruit: intorto deiectum fulmine vortex
Regem operit: refluo attundunt vaga caerula cursu,
Instrumenta necis, cumulata in damna, reductis
Fluctibus, in caelum montes soluuntur aquarum.
Interea Israël siccis terit aequora plantis,
Qua patefacta nouo distenditur orbita ductu.



Decem

Decem Plagæ Ægypti:

DE QVIBVS IN EXODO VSQVE AD caput 12. Hîc eas apponimus breui metro comprehensas, quia his conflictatus Pharao, Dei populo exeundi de Ægypto, tandem facultatem concessit. Hanc tamen, insano conatu, cùm reuocare vellet, suo & suorum interitu obstinatæ improbitatis pœnas dedit: quas oculis vsurpantes Hebræi, carmen fauenti sibi numini, Eucharisticum cecinere.

I. *Aureus emensis lustrauerat orbibus orbes* Gen. 15. vers. 13.
Centenis quater æthereos Hyperione natus:
Ex quo progenies, toto celeberrima mundo,
Abrami, patrijs procul vrbibus exul, agebat
Vitam infelicem; Nánque asper, & improbus ira,
Et Phario tumidus, sceptri fulgore tyrannus, Exod. 1.
Colla iugo Abrami dùm imposito, & feritate premebat.
Immemor heu quantis Nilotica regna leuarit
Iosephus quondam ærumnis; quibus oppida Lagi
Iuuerit auxilijs, ne desolata perirent.
Quid referam illustres opera ad seruilia dextras;
Totque Patrum ad stipulas luteúmque intenta laborem
Corpora? fundebant gemitus ad sidera matres,
Suppliciter tristes, cùm pignora rapta viderent
In Nili fluctus protrudi, & rauca frementes
In scopulos: dolor heu matrum! tandem arbiter orbis
Placatam aduertit repetitis questubus aurem,
Atque suum placido respexit lumine Iudam.

II. *Fortè sacerdotis seruabat ouilia Iethri* Exod. 3.
Peruigil inq; lupos audax (dimiserat olim
Atria) vir pietate grauis, multúmque colendus
Sanguine Leuitico, Nili, quem ad gurgitis vndas
Infantem, matris fiscella à morte redemit: Exod. 2.
Sed lacrymæ magis, & radicantis gratia vultus. Exod. 3.
Hunc, Deus, errantes iuga per deserta capellas

Dum

Dum pastorali baculo regit, ore verendo
Alloquitur: tremit ecce caua compage soluta
Interius collis; nutant fastigia montis,
Maiestate Dei: tum, flamma innoxia molli
Omnia peruolitat latè spineta recursu.
Hæc inter, sonat horrendum vox missa per auras,
I, propera cum fratre viam consorte, laborísque,
I, propera: & Pharij molire ad tecta Tyranni
Iam gressus: Age, rumpe moras; solare iacentes
Abrami in tenebris atque in squallore nepotes.
Aspera seruitij magnis ergastula rumpam
Viribus, & populum, quem nunc rex impius acta
Ad terram ceruice premit, proauita reducam
Per varios casus, in rura; vbi candida lactis
Copia, & à viridi stillantur subere mella.
Nec verò Isacidas, æquata potentia cœlo
Regis; & ad nubes surgentia mole theatra,
Attonitos habeant: Equites, & quicquid inani
Ambitione inflat malè sani pectora regis;
Te duce vincentur. Pharij Deus esto tyranni;
Exod. 7. *Frater ad eloquium lateri comes hæreat Aron.*
III. *Dixit; & ingenti pauefacta cacumina montis*
Contremuere sono: tum circumfusa repente
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.
Exod. 4. *At Moses latus fatalis munere virgæ,*
Missus in imperium magnum, occultantia linquit
Lustra feras; socerique greges: iámque atria regis
Scandit: vbi gemmis, & iaspide fulua supellex
Collucet; vastos hebenus, Mareotica postes
Hic operit. Tyrio, lectis genialibus, ardent
Stragula costa diu succo; pars ignea cocco,
Pars auro plumata nitet. Penetralibus infert
His Moses cum fratre gradus, maiórque videri
Incipit; Aronis caput auro, & luce decorum
Flagrantes toto iaculatur in äere flammas.
Olli nanque Deus speciem, lumênque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Exod. 5. IV. *Ergò ad colloquium admissi, sic ora resoluunt:*
Rex, Pelusiaci cui fortunata Canopi

Parent arua, Deus stellantis conditor orbis,
Imperat Isacidas, vt quos tua sub iuga mittis,
Dimittas: plebs thuricremas illi extruat aras
Libera seruitio. Nam victima flore recenti,
Aegyptíque opibus cumulata; tuentibus orbem
Luminibus Domini, populi in regione profani,
Qui volucrum pennas, & monstra natantia Nilo,
Supplex thure colit, non est mactanda. Tyrannus
His dictis rabiem expromit, tumidámque procellam Exod.5.
Pectoris irati; veluti leo, spumea rictu
Murmura diducto, cùm sanguine totus inundat.
Non mihi, non Domini, non vlla potentia vestri est
Cognita, ait; segnem post hac adamantina plebem
Vincla coercebunt: opera ad grauiora rebelles
Trudentur; quibus in somno graue languida suadent
Otia moliri facinus. Vos ô quibus vrget
Improbitas, animos: quid sollicitatis inani
Spe populum! ô furiæ! procul hac abscedite ab aula.
Sic ait: atque animo, totóque ardentis ab ore,
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis:
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat.


V. *Legifer interea, varia ad miracula, Moses* Plagæ Ægypti. Exod.7. 8. 9. 10.11.12.
Exerere Aronis virgam iubet: illa repentè
Squammea conuoluit maculosi terga colubri;
Pérque solum immenso tractu sese explicat anguis, 1. Plaga aquarum in sanguinem conuersio.
Vt magico natos cantu voret ore dracones.
Postquam virga potens, serpentem exuta voracem est,
Impulit attactu, spumare vndantia pleno
Gurgite, sanguineis Nili caua flumina ripis.
Quo casu Protei putrefacta examina tractu
Littora complebant longo; non stagna liquorem.
Non gelidi purum fontes; non flumina præbent. 2. Ranarum productio.
Iugera, quæ grauidis canebant nuper aristis;
Et dudum virides vmbrabant palmite colles:
Plurima ranarum (dictu mirabile) fundunt
Agmina; non inopis, non diuitis, atria turbæ
Peste carent; squallent Lagæa per oppida ranæ.
Tellurem, Aronis mandata potentia virgæ

Pulueris in cumulos, quam soluerat impetus Austri,
3 Cyniphũ. Vertit Cyniphiam in nubem: madefacta veneno
4. Muscarũ. Spicula pestiferæ per celsa palatia muscæ
5. Pestis. Figunt; Iessæos non ausæ intrare penates.
Pestis acerba furens, vinctos ad aratra iuuencos
Sternit humi: agricolis labor irritus excidit anni.
Accensi Moses volitat dum flamma camini
6. Turgentium vesicarum. Dispergit manibus cineris nigra nubila cælo:
Vnde rubræ papulæ, atque immundus olentia sudor
Membra hominum populat; pecudum tumet vlcere corpus.
Cernere erat geminum lapidosæ grandinis imbrem;
Quæ flore, & culmis viridantibus exuit agros.
7. Grandinis. Flamma relucebat, tonitrus & grandinis inter
Horrorem; populata soli nullo ordine fruges.
Denique quicquid adhuc nimboso ex igne relictum est,
Innumeræ in campis latè exedere locustæ:
8. Locustarũ. Et bruchi teneræ vastarunt iugera messis.
Nec tamen Isacidas, Pharao miracula rerum
Tam manifesta videns, dimittere cogitat. Ergò
Formidanda nigro volat aëre noctis imago,
9. Tenebrarum. Tartareæ piceo caligant omnia velo.
Memphis inhorrescit ciuis pro ciue tenebras
Attrectat: stygium hîc ditem regnare putares.
At Iessæ in campis, vbi habent sua tecta nepotes
Abrami, lux interea iucunda refulget.
VI. His Pharao signis, velut incandescere ferrum
Igne solet violento; & tandem mollius ire
Cyclopum quò dextra iubet; fremit horridus ira,
Infractúsque malis. Iacobi pignora tandem,
Quò Deus & sua fata vocant, discedere iussit.
Namque parens mundi tenebrosa in nocte per omnes
Passim hominum pecudúmque genus, lethalia torsit
Tela; quibus Pharij strata est pars altera regni.
Filius hîc Pharaonis erat: cecidere superbæ
10. Primogenitorum interitus. Exod. 12. vers. 31. Sap. 18. Primitiæ sobolis: fortes cecidere iuuenci.
Immunes cladis tantæ, luctúsque fuere
Isacidæ, hyssopo, quibus, agni intingere postes
Sanguine, cura fuit. Medias iam noctis opacæ
Cynthia pertigerat metas; cùm membra tyrannus

Attonitus monſtris, fletúque & clade, leuabat
E thalamo illacrymans. Regem, turba aulica, & omnes
Aegypti proceres comitantur: cætera paſsim
Turba furit: reſonant latè plangoribus ædes.
Dúmque vident charis orbata cubilia natis;
Quos penes vna ſalus, & ſpes erat altera vitæ;
Flent miſeræ matres & ſciſſa veſte queruntur: Exod. 12.
Caniciem immundo perfuſam puluere turpat
Rex ipſe, & Moſem, fratrémque, & quicquid vbique eſt
Iſacidûm, migrare iubet. Deferbuit æſtus
Pectoris irati; docuit ſua pœna nocentem,
Elatæ quàm ſit mentis temeraria virtus.
Iam ſeſe incuſat, quòd non dimiſerit vltro
Hebræam gentem. Regum hæc dementia, pectus
Vrget, ait; bene dum ſuccedunt omnia; velle
Contra homines, contra ire Deum, & cælo arma mouere.

Atque hæc, ad diuini numinis gloriam, in explanationem cantici Moſis & filiorum Iſraël, dicta ſufficiant: dum ad commentariorum in Ioſue, quos propediem, Deo bene fauente, in lucem dabimus, coronidem feſtinamus.

CANTICI MOSIS FINIS.



INDEX OMNIVM ANNOTATIONVM, QVAE IN PRÆFATIONE, ET IN SINGVLIS CANTICI MOSIS SECTIONIBUS, CONTINENTUR.

Appositæ numerorum notæ indicant numeros marginales, qui ad præfationem sunt affixi; præpositæ verò, numeros annotationum.


V 3 V. Quid

Sectionis decimæ Annotationes octo.

Sectionis vndecimæ Annotationes sex.

Accessit ad finem operis.

INDEX



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS, VEL explanantur, vel illustrantur.

Litera P, Præfationem. S, Sectionem. T, textum. A, annotationem significat.

EX VETERI Testamento.

EX LIB. GENES.

EXODI.

NVMERORVM.

DEVTERONOMII.

Cap.17.

PSALMORVM.

PRO

PROVERBIORVM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORVM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

HIEREMIÆ.

EZECHIELIS.

DANIELIS.


OSEÆ.

MICHEÆ.

HABACVC.

ZACHARIÆ.

INDEX



INDEX ALPHABETICVS RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Litera P, Præfationem. S, Sectionem. A, annotationem. T, textum. N, numerum marginalem significat.

lon

Non

Decem

Cœle

Deus

Maria.

Medicina.

Mechilta.

Messias.

Miraculum.

Misericordia.

Cedrus,

FINIS.



